

D E

PLATONIS PARMENIDE

SCRIPSIT

C. SCHIRLITZ  
PHIL. DR.





In explicando Platonis Parmenide qui praeclaram nuper operam collocavit, C. Göbel,<sup>1)</sup> vir doctissimus, non solum novam, quae est eius sollertia, dirimendae veteris controversiae rationem invenit, verum etiam, ut quo vellet perveniret, rectissimam viam ingressus est. Cum enim dudum intellectum esset, in disputatione illa hypothetica, quae secunda libri parte continetur, gravissima vitia latere, nec solvi posse quaestionem in priore propositam nisi perspecto alterius fine examinataque Parmenidis ratione philosophandi, pauci tamen exstiterunt, qui, tanta captionum series miro quidem sed pravo acumine continuata quorsum tenderet, subtilius explanarent, pauciores<sup>2)</sup> etiam, qui conclusiones ipsas percensere et ad certam logicae normam exigere conarentur. Quo magis Goebelii cura laudanda est. Qui re uti fieri oportebat instituta perplexam notionum consimilium dissimiliumque varietatem distinxit verbisque, quae idem valere videntur, diligenter excussis, quid quoque loco cuique voci tribuendum esset, accurate studuit definire: molestum profecto negotium in tanta homonymorum mole abditarumque significationum congerie sed necessarium. Tria enim enucleandis, quae causam constituant, notionibus consecutus est, primum ut errorum, in quos Parmenides incidit, fontem recluderet, deinde ut ad certa quaedam genera eos revocaret, tum ut ipsam totius libri summam tandem aliquando posset indicare. Nimirum disputatio Parmenidea ea est, ut, si ex severis dialecticæ, qualem Socrates inchoavit, Plato perfecit, regulis spectatur, non tantum per se ipsa illustretur, verum etiam dubitationibus gravissimis, quibus idearum doctrina in parte priore impugnata est, lucem insperatam affundat. Quo nihil exoptatus potuit evenire. Quippe duae dialogi partes ita comparatae sunt, ut nisi ab altera alterius causam recta ratione repetiveris, de idonea utriusque explanatione desperandum videatur. Quid enim attinebat, compluribus iisque luculentissimis argumentis defendere, sive ideæ essent, sive non essent, nullam esse cognitionem humanam? Haec enim opinio annuente Socrate in partis prioris clausula a Parmenide profertur, modo recte intellegas, quae illo auctore idearum doctrinae obiici et possunt et debent. Adde, quod homini serio disserenti, siquidem verum sibi visus eset invenisse, in tristissima illa confessione acquiescendum fuisset. Nunc vero longa oboritur syllogismorum continuatio modo admirationem legenti modo bilem moventium, suoque se acumine philosophus compungit nec prius finem facit dicendi, quam

<sup>1)</sup> In libro, qui inscribitur: Ueber den Platonischen Parmenides. Gütersloh 1880.

<sup>2)</sup> Ex eo numero est O. Apelt, Untersuchungen über den Parmenides des Plato. Weimar 1879. Quae a D. Peipersio de Parmenide disputata sunt in Ontologia Platonica (Lips. 1883), dolemus sero nobis ea innotuisse.

quae quoque capite detexta sunt, proposita deinceps antinomia retexantur. Quae omnia si ea mente excoxitata essent, ut aut imprudentem lectorem fallaciarum laqueis irretirent aut attentum inani quadam oblectatione afficerent, aliquanto opinor iis essent obscuriora, quae priore libri parte exposita sunt. Exspectamus autem, si vere iudicare volumus, primum ut minutae idearum doctrinae quoquomodo subveniatur, deinde ut hanc ipsam opem ex iis petere liceat, quae Plato Parmenidem in altera libelli parte disputantem introduxit. Quod fieri non potest nisi ita, ut quae aliis lucem allatura sint, et ipsa patescant. Proposuimus quaestionem a Goebelio non tentatam sed profligatam. Qui et Parmenidis errores detexit et ad stabiliendas, quae labefactatae essent, species bonae frugis esse docuit et duas dialogi partes artissimo vinculo colligatas esse evicit et non solum argumentum utriusque probe perscrutatus est, sed etiam formae argumento induitae pulchritudinem peculiarem commonstravit (est enim Plato ut divini ingenii philosophus ita summus dicendi scribendique artifex) et locum inter tot alios Platonis libros Parmenidi attribuendum studiose inquisivit. Quarum rerum cognitione qui rite imbutus est, ei nihil iam deesse appetet. Ita et Plato vana argutiarum liberatur suspicione et Parmenides in suam dignitatem restituitur. Qui quamquam mancum quoddam et imperfectum disserendi genus amplectatur, uti tamen hoc ut suo non ut alieno abuti censendus est. Sed nolumus hic accusatius argumentum persecui scriptio Goebelianae, de qua alias ita strictim disputare iuvat, ut illum in philosophi arcana penetravisse intellegatur. Nune de eo, quod hoc loco tractandum nobis sumpsimus, pauca dicamus. Sunt enim, quibus dialectica Parmenidis ars laborat, certa quaedam atque sollemnia vitia a Goebelio et a fonte suo repetita et ad suum quodque genus relata. Iam omnis disputatio illa, quam Parmenides amicorum hortatu instituit, duas praecipuas partes complectitur, quarum altera unum esse statuitur eiusque sumptionis consecaria explicantur, altera perquiritur, quid, si unum non esse statuatur, consequi fatendum sit. Est autem pars utraque et ipsa bipartito divisa, nam duplex in utraque rursus quaestio oritur, cum et quid uni contingat et quid non-uni, sive unum esse posuerimus sive non esse unum, accurata disquisitione singillatim eliciendum sit. En habes disputationem quadrifariam distributam. Sed ne haec quidem quattuor particulae quaestionibus continuis efficiuntur. Namque novum, quibus tota res nititur, vi multiplici philosophus adducitur, ut diversos in quaque particula ordines percurrat. Hinc quid fiat, facile intellectu est. Modo enim novi errores proferuntur modo repetuntur proximi nec semel repetuntur sed ter quaterve occurunt et per totum fere sermonem propagati sunt, quocirca attenta lectione opus est eademque vitia toties obvia sed multis variisque modis involuta identidem revelare debemus. Noluit haec omnia ita pertractare Goebelius, ut singulis locis singulos errores corrigeret, sive ne acta agere videretur veritus est, sive quae potiora essent, ea, si quidvis quovis loco exprompsisset, in tanta annotationum silva facile delitescere sibi persuasit. Itaque primum Parmenidis sermonem perlustrans ubi quid nova ratione peccatum esset, id suo loco perstrinxit, deinde de dialectica Parmenidea in universum disputans doctrinae Eleaticae vitia in certos quosdam ordines digessit. Quod etsi recte et proposito convenienter fecit, fortasse tamen nec ingratum lectori nec inutilem laborem suscepit, qui quae ab illo consulto praetermissa sunt, continua explicatione supplere studet. Per censuimus igitur omnes deinceps Parmenidis conclusiones, quae quidem a Goebelio non exploratae essent, idque egimus, ut quicquid falsi iis inesset, cognosceretur: qua in re quantum illius opera sublevati simus, non est cur pluribus exponamus, quamquam ingenue fatemur pro huiusce-

quaestionis condicione magnum fuisse periculum, ne nonnunquam a vero aberraremus. Nec omnino nostra magni pendimus, sed et grates persolvere viro familiarissimo voluimus et studiosos philosophiae Platonicae homines ad libellum delegare elegantissimae doctrinae plenum et interpretem dignum scriptore suo. In extrema commentationis parte data occasione locos nonnullos subiungemus, qui non philosophi interpretatione sed vel critici ope vel explanatoris egent: quam si non ipsi invenerimus, aliorum fortasse excitabimus industriam, qui, si meliora nostris in promptu habent, nobis candidi impertiant.

P. 138 B-C. *Οὐτι κινούμενόν γέ ... Οὐ φαίνεται.* Duo cum mutationis genera sint, quoniam quicquid mutatur aut locum mutat (*φέρεται*) aut qualitatem (*ἀλλοιώται*), Unum, quod multa esse nequit ideoque et totius speciem fugere debet et partium multitudinem, ab utroque mutationis genere abhorrere appetet. Id etsi concedendum est, dicam tamen, quid in Parmenidis argumentatione displiceat. Qui postquam nusquam esse unum docuit, quod nec in alio esset nec in se ipso, hinc nec stare unum nec moveri colligit. Et de statu quidem tacemus: motus autem cum duo genera distinxerit, quorum alterum est *ἀλλοιώσεις* alterum *φορά*, *ἀλλοίωσιν* ita ab uno abiudicat, ut unum, si ex eo quod sit aliud fiat, unum manere neget (*ἀλλοιώμενον δὲ τὸ ἐν ἔαυτῷ ἀδύνατόν ποιεῖν εἴτε εἰναι; Αδύνατον*). Hoc licet per se recte dictum sit, tamen argumentationi ipsi parum convenit. Nam si inde quod unum nusquam est, nullam esse eius *κίνησιν* efficitur (nec de ea re dubitari potest, quia 138 B legimus: *οὐκ ἄρα ἐστὶ ποὺ τὸ ἐν μήτῃ μήτῃ ἐν ἄλλῳ ἐνόν*. *Οὐκ ἔστιν.* *Ὄρα δῆ, οὐτως ἔχου εἰ οὐκ τέ ἐστιν ἐστάναι η κινεῖσθαι*), quo iure alteram *κινήσεως* speciem statuit esse *ἀλλοίωσιν*, quae non loci sed substantiae mutatio est? Nec quicquam proficimus, si quae duo voluit esse Aristoteles, *աշխառ* dico et *ալլուասոն* i. e. quantitatis et qualitatis mutationem, haec uno eodemque *ալլուասուս* nomine a Platone comprehensa esse arbitramur; nam ut quantitatis mutatio sine mutatione loci nulla est (nihil enim aut crescit aut decrescit nisi mutato circuitu), ita substantiae et loci mutationes ipso genere differunt. Latet autem vitium in duplici *κινήσεως* significatione: cui voci Parmenides modo motus vim modo mutationis attribuit, illam si *ἐστάναι* et *κινεῖσθαι* ut contraria ponit, hanc si *ἀλλοίωσιν* ut partem *κινήσει* tanquam generi subiicit. Nimirum patet, qui quamlibet mutationem motionis nomine appellare velit, ei *κινήσεως* notionem sedis mutatae cancellis circumscribere non licere.

P. 139 A-B. *Ἄλλὰ μὴν καὶ εἰναι γέ φαμεν ἐν τοιι αὐτὴν ἀδύνατον ... τὸ ἐν ἄρα, ὡς ξοκεν, οὐδὲ ζεστήσειν οὔτε κινεῖται.* Unum, quod motu carere intellectum est, non posse eodem loco consistere vel quiescere his probare instituit: nec in semet ipso nec in alio unum esse potest, quia nusquam est; tale si est, non potest esse unquam in eodem, nam in certo quodam illud esset, quod nusquam est, si in eodem esset (*ὅτι ἥδη ἂν ἐν ἐκείνῳ εἴη ἐν τῷ αὐτῷ ἐστιν*). Quodsi unum nunquam in eodem est, nunquam consistit, nam in uno eodemque esse quid alius est nisi consistere i. e. quiescere? Aperte fallitur Parmenides, cui quae duo sunt, in eodem esse et stare vel quiescere, unum idemque valent. Quis enim non videt latius patere *ἐν τωτῷ εἰναι* quam *ἐστάναι* vel *ἥσυχίαν ἀγειν?* Noli enim putare diseriminis quicquam inter haec duo extrema secundum Parmenidis sententiam intercedere, quod non est. Immo manifestam generis partisque commutationem habes, quasi nihil inter se differant *τὸ αὐτὸν* et *ὁ αὐτὸς τόπος*. Illo enim haud dubie ipsum genus significamus i. e. omne essentiae genus, hoc partem vel speciem

i. e. loci naturam. Eundem errorem in eadem re obvium (p. 145 E) Goebelius p. 52 notavit. Illud addo, hoc vitium non pertinere ad summam conclusionis, quandoquidem quod nusquam est nec stare nec moveri posse intellegimus.

P. 139 B-E. Οδὸς μὴν ταῦτα γε οὐδὲ ἐτέρω αὕτη τοῖς ἔαντος ἔσται... οὗτοι δὴ ἐτερόν γε η ταῦτα τὸ ἐν αὐτῷ αὐτῷ αὕτη τὸ ἐτέρω εἰη. Οὐ γάρ οὖν. In hac argumentationis particula memoratu dignum videtur non uno eodemque arguento Parmenidem usum esse, ut unum ab eiusdem et diversi natura alienum esse efficeret. Unum enim cum statuat neque idem esse atque aliud quiddam nec idem atque ipsum neque a se ipso neque ab alio diversum, unum, inquit, nec a se ipso diversum est, nam si esset, unum non esset utpote ab uno diversum, nec idem quod alterum, quoniam si esset, alterum illud esset, non unum. Tum vero unum neque ab altero diversum neque idem atque ipsum esse, quae est altera sumptionis particula, ita eviniet, ut quicquid non se ipso aliquid sit, id omnino aliquid non esse contendat, vel ut Graece loquamur, quicquid non sit aliquid *άντιο*, id non esse aliquid *άντιο*. Quo placito a Parmenide tolli vedit Goebelius omne essentiae genus uno excepto substantiae, nam si nihil est quidque nisi quod semet ipso est, profecto nihil quidque est nisi quod suapte natura est, quam substantiam philosophi vocant. Unum igitur, quoniam non per se vel propria suaque natura aut idem est aut diversum, non potest esse ullo nomine aut *ταῦτα* aut *ἔτερον*. Quo argumento vel illa Parmenidi probare licuit, quae supra statuerat, nam unum si omnem eiusdem ac diversi naturam refutit, quam identitatem et differentiam hodie appellant, nec a se ipso diversum nec idem atque alterum esse potest. Quae argumentorum diversitas unde repetenda sit, dubitari nequit. Tenendum est, quod primus, quantum scio, Goebelius perspexit, Parmenidi partitionem innotuisse, divisionem non item. Illam habes, si totum in partes dividis, hanc, si genus secas in species. Atqui generis, quod et species multas complectitur (Latini partes utroque sensu dicunt) et in unaquaque earum exstat, haec ipsa natura est, ut et unum sit et multa, vel ut ad propositum redeamus, et diversum a se ipso et idem quod alterum; admittit enim ita multitudinem ab unitate diversam, ut unitatem retineat. Tale si unum fingimus, et a se diversum et idem quod alterum esse potest. Hoc ipsum ut verum esse negaret, cum Parmenides sola divisionis i. e. generis specierumque naturae ignoratione posset efficere, in primo, ut par erat, errore suo acquievit, deinde vero, quod reliquum erat, probaturus, unum nec ab altero diversum nec idem atque ipsum esse, eo processit, ut ipsam eiusdem et diversi notionem impugnaret unumque relationibus orbatum meram substantiam esse iuberet. Primum igitur diversas unitatis significaciones distinguere omisit, quodque de notione per se sola valet, quae est una duntaxat unitatis species, nec de genere in partes diviso, ad unitatem universam perperam retulit, deinde in explicanda essentiae notione pari modo lapsus est, quaeque pars est essentiae, essentiam substantialem (more liceat philosophorum loqui) in generis locum substituit. Quae vitia licet diversa sint, ambo tamen inde orta sunt, quod Parmenides non ea, qua debuit, notionis intelligentia imbutus est.

P. 139 E - P. 140 B. Οδὸς μὴν ὅμοιον τοις ἔσται οὐδὲ ἀνόμοιον οὐδὲ ἔαντος οὐδὲ ἐτέρω... οὕτε ἄρα ὅμοιον οὕτε ἀνόμοιον οὐδὲ ἐτέρω οὕτε ἔαντος ἀν εἴη τὸ ἐν. Similitudinem ac dissimilitudinem Parmenides sic definit, ut cui quid, quod idem sit, contingat, id simile, cui quid diversi, id dissimile esse dicat. Quodsi similia existunt, quae quod idem sit habeant, dissimilia, quae quod diversum, nulla in iis, quae ab eiusdem et diversi natura abhorreant, aut

similitudo aut dissimilitudo potest inesse. Ea enim cum nec ad se ipsa nec ad alia referre liceat, ecquid est, cui vel similia vel dissimilia fiant? Unum igitur omnis omnino relationis expers nec simile nec dissimile esse sponte intellegitur. In re aperta aperto Parmenidis argumentatio errore laborat, nec uno sed duobus. Ille hoc, inquit, cui idem accidit, simile est; ab uno autem idem natura differre patuit. Iam si quid uni accidit praeterquam quod unum est, accidit ei, ut plura quam unum sit (*πλείω ἀν εἶναι πεπόνθοι η̄ εν*). Quod cum fieri nequeat, nullo modo accidit, ut unum idem quod aut ipsum aut aliud sit. Ergo nec simile esse potest neque alii neque sibi ipsi. Diversitatis cum eadem ratio sit, de dissimilitudine idem statuendum est. I. Hic primum in eo offendas, quod philosophus praedictati relationem ab ipso praedicato non satis accurate discrevit. Unum enim si simile est, non est *ταὐτὸν* sed *ταὐτὸν εἶναι πέπονθεν* i. e. non habet praedicatum eiusdem sed idem praedicatum (dasselbe Prädicat, nicht das Prädicat der Identität). II. Sed progrediamur ultra. Ut enim uni, si simile est, aliud quid accidat, praeterquam quod unum est, hoc sequitur, ut plura uni attribuantur, non ut plura unum sit vel fiat. Cuius erroris duplex parata est explicatio. Nam Parmenides, si nihil uni tribuit nisi unitatem, certo quodam essentiae genere neglecto (accidens vocant) essentiam universam solius substantiae finibus circumscrispsit, sin unum accidentis natura multa fieri opinatur, unum illud suum iam non notionem generis sed numerum intellegit. Prout lapsus est, aut essentiae aut unitatis species dignoscere supersedit. Mihi illud probabilius videtur.

P. 140 B-D. *Καὶ μὴν τουοῦτον γε ὅν οὕτε ἵσον οὕτε ἄνισον ἔσται οὕτε ἑαυτῷ οὕτε ἄλλῳ... παντάπασι μὲν οὖν οὕτως.* Duplex relationis genus est: quaequaenam ita committimus, ut ad alterum alterum referamus, ea aut qualia aut quanta sint, anquirimus. Hinc duae nascuntur relationes, altera qualitatis, quantitatis altera; illam similitudinem appellant, cui dissimilitudo contraria est, hanc aequalitatem cum inaequalitate contraria colligatam. Iam unum ab omni relatione seiunctum nemo non videt quantitatis relatione vacare. Quicquid enim ab eiusdem natura removetur, ne totidem quidem mensurarum est. Atqui aequalia dicuntur, quae totidem mensurarum sunt, quot illa, quibus aequalia sunt, ergo unum eiusdem naturae exors aequale non est. Quo argumento cum in aequalitate refellenda usus esset, licuit profecto Parmenidi transigere rem nullo negotio: quis enim non videt, diversum esse non posse mensura i. e. inaequale, quicquid diversitatis ipsius expers sit? Eo magis mirandum videtur, quod ut uni inaequalitatem adimeret, aliam ille rationem iniit. Quicquid, inquit, inaequale est, cum aut maius aut minus sit, minoribus plures habet mensuras, maioribus pauciores; quot vero eius mensurae sunt, tot partes: quocirca inaequalitatis natura in unum cadere nequit, cuius nullas partes esse supra demonstratum est. Apparet igitur aequalitatem a Parmenide revocari ad notionem identitatis, quae est ex genere relationum substantiae, inaequalitatem ad naturam dividui i. e. ad determinationem localem; nihil enim auctore Parmenide dividuum est, nisi quod spatium implet cogitarique sine loco non potest. Aequalitatem, ut artis vocabulis utamur, Parmenides quantitatis identitatem interpretatur, inaequalitatem localem essentiae determinationem. Nec in obscuro est, cur in reprobanda aequalitate et inaequalitate parum sibi constiterit. Inaequalia enim aut eandem habent aut diversam mensuram. Iam unum si eis impar est, quibuscum eandem habet mensuram, aut plures aut pauciores mensuras habet; sin eis, quibuscum non est eiusdem mensurae, aut minores aut maiores. Quo concesso intelligimus Parmenidem si unum dixisset inaequale esse non posse, quia, si esset, diversae esset

mensurae (*τὸ ἐν ἀνισον ἑτέρων μέτρων ξσται*), haec ipsa quantitatis diversitas utrum ad numerum mensurae an ad spatum pertineret, i. e. utrum in numerandis an metiendis exsisteret, omnino non diiudicaturum fuisse.

P. 140 E- P. 141 E. *Τί δέ; πρεσβύτερον η νεώτερον η τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἔχειν τὸ  
ἐν δοκεῖ τῷ δυνατὸν εἶναι; . . . οὐδὲ ἄρα χρόνου αὐτῷ μέτεστιν οὐδὲστιν ἐν ταῖς χρόνοις.* Proximum est, ut unum nullam temporis comparationem vel cum alia quapiam re vel cum semet ipso sustinere doceatur. Eadem si referret temporis rationem, quae vel alii vel ipsi propria esset, aequalitas vel similitudo temporis ei conveniret, sin diversam, fieri non posset, quin diversitas ei tribueretur, quod utrumque superioribus adversatur. Unum igitur, cum aetate nec par sit aut sibi aut alteri nec superet aut semet ipsum aut alterum nec sibi alterive cedat, nullis omnino temporis finibus coeretur. Iam quiequid tempori obnoxium sit, id aetate et sibi par esse et semet ipsum superare, qui respondendi munus suscepit. Aristoteles nullo coactus argumento concedit; sed ut quod crescat aetate, idem decrescat, qui fiat, cum ille non intellegat, Parmenides haec expromit: contrariorum eadem temporis ratio est, itaque una et sunt alterum cum altero et fuerunt et futura sunt et fiunt. Quicquid igitur semet ipso maius fiat, idem semet minus fieri fatendum est. Id quamvis perversum sit, queritur tamen, in quem errorem Parmenides incurrit, ut pro veris illa auditoribus venditaret. *Τὸ πρεσβύτερον, inquit, αὕτοῦ γεγνόμενον νεώτερον αὕτοῦ γίγνεται.* Si quid crescens aetate decresceret, unum idemque duplice illo αὕτοῦ significari oporteret. Velut unum si non posset fieri a + m, quin fieret a — m, idem esset (a dico), quo unum et maius et minus fieret. Vere autem si iudicare volumus, illud αὕτοῦ modo id est, quo maius fit quod aetate provehitur (*πρεσβύτερον αὕτοῦ*), modo id, quod fit minus relatum ad illud, quod provehitur aetate (*νεώτερον αὕτοῦ*). Crescit igitur aetate id, quod per se est, decrescit quod ad alterum refertur, siquidem crescente indice numerans decrescit, qui per se nec augetur nec imminuitur. Etsi igitur contraria eandem habent essentiae rationem (id enim Parmenides sumpserat), essentiae tamen ipsius duo genera sunt, alterum in re positum est, alterum cogitando fingimus: quippe ut alterum ad alterum referamus, sola cogitatione efficimus. Itaque philosophus illud rursus commisit, ut diversa essentiae genera diversa esse non cognosceret.

P. 142 B- P. 144 E. *Βούλει οὖν ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἐπανέλθωμεν, ἐάν τι  
ἡμῖν ἐπανισσον ἀλλοῖον φανῇ . . . οὐ μόνον ἄρα τὸ ἐν πολλά ἐστιν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τὸ ἐν ὅπῳ τοῦ  
ὄντος διανενεργημένον πολλὰ ἀνάγκη εἶναι.* Tria hoc loco Parmenides demonstrat, primum  
ἐν illud δι i. e. unum, quod essentiam participat, infinitam esse multitudinem. *Ζε,* inquit,  
δι ut totum ex duabus constat partibus, quarum altera essentia, altera unum est; iam  
cum cuiusvis partis ea condicio sit, ut totius partes contineat (hanc enim propositionem  
maiores esse tenendum est), quantulacunque emerget pars, ea semper ex duabus illis  
particulis consistet. Fac sectionem in singulis partibus denuo semper redire, iam intelleges  
infinitam nasci partium multitudinem, unumque, quod esse statuimus, multitudine esse in-  
finitum. Cui argumentationi duos errores subesse Goebelius docuit; nec enim essentiam  
et unum notionis illius, quam cogitatione effingimus, τοῦ ἐνὸς ὄντος partes esse sed enun-  
tiationis sive iudicii huius: unum est, nec partem ita natura sua comparatam esse, ut et  
ipsa totius, cuius sit pars, partes contineat, hanc autem errorum illorum summam esse, ut  
Parmenides et notionis notas et generis species (complexum et ambitum appellant qui artem

logicam profitentur) pro partibus totius habeat. Tum Parmenides unum illud etiam per se ipsum seiunctumque ab essentia infinitum esse multitudine demonstrare aggreditur: quo munere ita functus est, ut primum essentiam infinitam esse, deinde unum cuique essentiae adjunctum et ab ipsa essentia divisum concisumque multitudine infinitum existere probaret. Nolo pluribus persecui, quibus vitiis haec disputatio obnoxia sit: sunt enim a Goebelio et sollerter inventa et copiose illustrata, satisque habeo memorare, modo numeri modo singulorum, quod Graeci *καθ' ξαστον* vocant, notionem uni tributam esse, eoque vel hanc argumentationis partem omnem subverti, quod diversae et unius et essentiae species non satis accurate distinguantur. Illud vero quaero, quo consilio Parmenides adductus sit, ut postquam *ἐν* illud *ὅν* infinitum esse efficit, in meram et unitatem et essentiam idem cadere demonstrandum sibi proponeret. Dixerit quispiam Platonem, cum Parmenidem ista disserentem faceret, id egisse, ut illum in extrema notionis ignoratione versari doceret eaque de causa novos, quos significavimus, eosque speciosos errores illi obtrusisse, ac spectat hic reapse tota, quae dialogo continetur, disquisitio; sed errores illi conclusionum ordine aperiuntur, nunc vero argumentationem istam quo consilio Parmenides instituerit, quaerimus. Hic ubi *ἐν* illud *ὅν* infinitum esse explanavit, *ἴδιον δέ*, inquit, *καὶ τῆς θεᾶς ἐπι* (p. 143 A), ex quo cognoscimus velle illum idem alia quadam ratione comprobare, idque vel inde apparet, quod absoluta secunda ac tertia argumentationis parte illuc, unde digressus erat, rediens *τὸν ἐν ὅρᾳ ὅν* inquit *ἐν τέ ἑστί πον καὶ πολλὰ καὶ ὅλον καὶ μόνια καὶ πεπερασμένον καὶ ἀπειρον πλήθει* (145 A). Quodsi unum essentiae particeps multitudine infinitum esse ita sibi videtur demonstrare, ut primum merae essentiae, deinde merae unitati infiniti praedicatum vindicet, perinde ac si *ἐν* *ὅν* infinitum idem valeat quod essentia infinita et infinita unitas, nonne manifesto essentiam et unum pro unius, quod est, partibus habet aperteque profitetur, se prorsus ignorare, quid sibi velit unum illud essentiae praedicato instructum, vel ut dicam, quod latius patet, quam diversae notiones unius et essentiae vocibus subiici possint ac debeant? Mira profecto videtur mihi Platonis arte hoc effectum esse, ut ex eodem vito, quod in argumentationis prioris ordine deprehendimus, omne renovandae illius consilium repetere liceat.

P. 145 C-D. Άιλλα μέντοι τό γε ὅλον αὐτὸν ἐν τοῖς μέρεσιν ἔστω . . . πῶς ἔτι ἐν γε τοῖς ἀπιστού ἐνέστω; οὐδαμῶς. Unum in diverso aliquo esse ita probatur, ut totum neque in quibusdam partibus existere neque in omnibus neque in una demonstretur. Et primum quidem in quibusdam non inest, nam si inesse, plus esset in minore. Deinde nec in omnibus totum inesse modo, quem vocant, tollendo tollente usus ita Parmenides efficit: totum si in omnibus partibus est, necessario etiam in una est, in una enim aliqua non extans non iam poterit in cunctis esse, atqui totum una aliqua parte non continetur, ergo totum, quoniam unius praedicatum cunctarum partium est (*εἰ δὲ τοῦτο μὲν τὸ ἐν τῶν ἀπάντων ἔστι*), in omnibus non inest. Videamus, num haec vere conclusa sint. Vult Parmenides totum in omnibus partibus non inesse argumento fulcire suo. *Ηάγια* igitur omnes partes, *ἐν* unam aliquam partem intellegas. Hoc concesso propositio maior vitium concepit haud reconditum. Quod enim totum in omnibus partibus inest, inde haudquaquam sequitur, ut sit totum in una aliqua parte; scilicet omnium partium summa, non singulis partibus totum efficitur. Itaque illud *πάντα*, cuius collectiva significatio est, distributive dictum, quaeque generis ac specierum est ratio, eandem totius et

partium esse falso Parmenides opinatur. Haud melius propositio minor se habet, in qua sponte vides *εν* modo unam partem modo unumquidque intellegi i. e. unitatis et singulorum notiones misceri; nam in uno cum totam inesse ille negat, unitatis notionem exhibet, omnium autem praedicatum cum dicit unum esse, unum illud transformat in notionem singulorum, quod Graeci *χαρ' ἔχωστον* vocant. Duobus igitur vitiis implicatur, quippe qui nec generis totiusque differentiam nec diversas unius significationes perspexerit. Pari fere modo antea unum in se ipso esse ita efficitur, ut totius natura modo in unitate, qua partes continentur, modo in iusto partium numero cernatur. — Nec eius, quae paulo infra legitur, argumentationis assimilis ratio est, nam unum, quod nec in omnibus partibus nec in singulis sit, si in alio consistere propterea Parmenides censem, quia si nusquam sit, omnino non sit, nonne essentiam localem, quae una nonnisi essentiae species est, in ipsius essentiae generis locum substituit? — Vitium supra castigatum (p. 139 A-B) in eis, quae subsequuntur (p. 145 E- p. 146 A), recurrere strictim dico, namque par illud notionum generalium (*ἐν ταῦτῷ* et *ἐν ἑτέρῳ*) cum artiore, quae localis essentiae propria est, status motusque notione (*ἔστανται* et *κινεῖσθαι*) rursus aequatur. — Eodem pertinent quae p. 146 C. *Τι δέ;*... *ἔσται* explicantur, nisi quod hoc loco essentia localis non cum universo essentiae genere sed cum essentia substantiali, quae et ipsa essentiae species est, eodem numero habetur. Namque unum, quoniam alibi quam in semet ipso versetur (*ἐτέρωθι ὅν* *ἀτὸν ἔαντον* *ἐν τῷ* *ἀτῷ ὅντος* *ἔαντῷ*), cum cogi dicit, ut diversum a se ipso fiat (*ἐτερον* *ἔαντον*), quid aliud dicit nisi mutato loco mutari substantiam? Ipsum enim illud diversum fingi nequit nisi ita, ut id, a quo est diversum, quale suapte natura est, tollatur, velut statim p. 146 D quaecunque unum non sunt i. e. *τὰ ἄλλα* ab uno diversa dicuntur.

P. 146 D- P. 147 C. *Ὥρα δή · αὐτό τε ταῦτὸν καὶ τὸ ἑτερον ἀρ' οὐκ ἔναντια ἀλλήλοις . . τὸ ἐν ἄρᾳ, ὡς ἔοικεν, ἑτερόν τε τῶν ἄλλων ἔστι καὶ ἔαντον καὶ ταῦτὸν ἐκεῖνοις τε καὶ ἔαντῷ.* Priusquam unum idem atque ipsum esse et a se ipso diversum eademque ratione idem quod cetera esse et diversum ab illis probare Parmenides instituit, illud sumit precario (nec enim demonstravit, quod per se falsum est) omnia ita inter se referri, ut aut idem sint aut diversum aut totius partiumque ratione inter se cohaereant. Quibus rationibus unum idem atque ipsum et a se ipso diversum et diversum esse evicerit ab aliis, i. e. ab eis, quaeque unum non sunt, quaerere mittimus; partim enim superioribus satis illustrata sunt, partim disceptatione non egent, illud vero, quod postremo loco ponit, unum idem esse cum aliis i. e. ab unitate semotis, paucis comprobandum est. Nisus igitur praeiudicata opinione sua unum nec diversum ab aliis nec eorum aut partem aut totum esse argumentis confirmare studet; sublati enim his relationum generibus relinquuntur, ut unum idem quod alia sit. Ac de toto partibusque nihil dicendum videtur; in illo arguento examinando subsistamus, quo unum docet ab aliis diversum esse non posse. Quod si in syllogismi modum redegeris, hoc habebis: contrariorum alterum in altero inesse nequit, atqui idem et diversum ex contrariorum numero sunt, ergo nec idem in diverso inesse potest nec hoc in illo. Diversum si in eodem i. e. identitate nunquam inest, nihil profecto est eorum, quae sunt, in quo sit unquam diversum; nam si vel paulisper in aliquo inerit, per idem illud tempus in eodem diversum erit. Itaque nec in uno inest nec in iis, quae unum non sunt. Quare nec differre inter se possunt unum et alia diverso (*τῷ ἑτέρῳ*) nec vero semet ipsis (*αὐτοῖς*), siquidem diversum non participant (*μὴ μετέχοντα τῷ ἑτερον*). Iam si et a diverso prorsus aliena sunt nec partium totiusque ratione inter se cohaerent, fieri

non potest, quin unum sit idem quod alia. Habes quaternionem terminorum, latetque ambiguitas in diversa eiusdem significacione. Etenim quo loco nec idem in diverso nec hoc in illo inesse dicit, identitatem et diversitatem i. e. ipsas eiusdem et diversi notiones significat idque perspicue; sic enim exorsus est: *αὐτός τε ταῦτα καὶ τὸ ἔτερον ἀρ' οὐκ ἐναντία ἀλλήλοις*, infra vero diversum in nullo eorum, quae sint, inesse defendens, quoniam si inesset, statim in eodem (*ἐν ταῦται*) inesset, idem non iam notionem eiusdem sed rem, ad quam notio pertinet, interpretatur. Notiones ita comparatae sunt, ut altera in alteram transire nequeat, at ea, quibus notiones attribuimus, eiusdem et diversi notionem obtinent, quoad quidque ad se ipsum relatum idem est, ad alia diversum. Si quid idem quod ipsum esse fingimus, substantiam intuemur, sin a se diversum, accidentia. Itaque hac ratione diversum in eodem existit, quod Parmenides fieri posse non infinitatus esset, nisi neglecta rursus essentia accidentalis universam essentiam in substantiali posuisset; est autem vitiosum, in dividendo partem i. e. speciem in genere numerare. In idem vitium paulo infra denuo delabitur. Demonstrato enim unum et alia diversitate (*τῷ ἔτερῳ*) non posse differre, argumentationem ita absolvit, ut illa, quia diversitatem non participant i. e. quia careant diversitatis praedicato, nec se ipsis (*ἐντοῖς*) discrepare posse defendat. Hic quis non intellegit, si quid id esse negetur, quod non sit se ipso i. e. relatione quavis privatum, unam relinquendi essentiae formam, dico substantiam. Errorem argumentationis reteximus, erroris toties repetiti fontem Goebelius sagacissime indagavit. Is vidit (p. 50 et 64) in enumerandis relationum generibus praeter generis specierumque rationem illud omissum esse, quod habes, si duae notiones non tertiam quandam participant, sed altera ad alteram ita referantur, ut altera, quae subiecti vice fungitur, substantiae formam induat, altera, quae praedicati, accidentis. Ita duae notiones in unam coalescunt (vid. Goeb. p. 64), quae essentiae accidentialis vis et origo est. Contra si quis omnia aut eadem aut diversa esse statuit, is in substantiae contemplatione quasi defixus natura accidentis haud perspecta qui fiat, ut in eodem diversum queat inesse, pervidere nimirum non potest.

P. 148 C. *Ἐχετ τὴρ οὖν δῆ, ὡς ἔσουσε, καὶ τοιῶντον λόγον . . . κατ' ἀμφότερα καὶ καθ' ἐκάτερον ὅμοιόν τε ἀν εἴη καὶ ἀνόμοιον τοῖς ἄλλοις.* Unum et simile et dissimile tum aliis tum sibimet ipsi esse dupli ratione probatur. Prioris argumenti duo vitia aperuit Goebelius, quorum alterum hoc est, quod Parmenides, ubi unius et aliorum similitudinem in communi diversitatis praedicato sitam esse exposuit, ex contrario praedicato identitatis, quae et ipsa unius aliorumque propria est, dissimilitudinem per contrapositionem repetit. Quod iniuria fecit. Namque duo illa praedicata hic non genera contrarie opposita sunt sed unius generis species (vid. Goeb. p. 51). Similia enim sunt, quibus condicio eadem conveniat, atqui uni aliisque, sive diversi sive eiusdem praedicatum commune respicimus, idem obvenit, ergo utroque nomine similia essent, si ex mera cuiusvis praedicati communione similitudinem repetere liceret, quae ut efficiatur, communis qualitatis praedicato opus est. Itaque notiones relativae absolute positae sunt, et id quidem disputationis Parmenideae alterum vitium est. Illo autem, quod modo praeante Goebelio denotavimus, haud dubie abstinuisse, si unum et alia idem habere identitatis praedicatum reputasset. Nunc vero rem ita perficit, quasi praedicatum identitatis absque iisdem praedicatis possit cogitari. Quo minus mirandum est, argumentationem eam, quae adnectitur, eodem errore subverti. Illa enim, quae continuo leguntur: *γὰ ταῦτα πέπονθε*, si per se recte dicta sunt, nihil aliud significare possunt nisi hoc: quatenus (unum)

idem identitatis praedicatum habet. Nec vero id convenit sequentibus. Primum enim si unum idem habet praedicatum, sive eiusdem sive diversi, non sane opus est, ut diserte demonstretur, non habere diversum, si non habeat diversum, non dissimile, si non dissimile, simile esse, in qua argumentatione illud insuper displicet, quod ex praedicato non dissimili similitudo efficitur, quae est petitio, quam vocant, principii. Deinde quae adiuncta sunt  $\eta\delta'$   $\alpha\lambda\lambda\omega$   $\pi\epsilon\nu\theta\varepsilon\nu$ ,  $\alpha\lambda\lambda\omega\eta\omega$ ,  $\alpha\lambda\lambda\omega\eta\omega$   $\delta\epsilon\eta\omega$   $\alpha\lambda\lambda\mu\omega\eta\omega$   $\epsilon\nu\omega\eta\omega$  quorsum spectent, non appareat. Neque enim diversa uni aliisque contingunt, sed eadem duntaxat eiusdem et diversi praedicata. Dixerit quispiam, diversa praedicata oriri, si contraria unius et aliorum praedicata conferantur i. e.  $\tau\omega\tau\omega\tau\omega\eta\omega$   $\epsilon\nu\omega\eta\omega$  cum  $\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\tau\omega\eta\omega$   $\alpha\lambda\lambda\omega\eta\omega$  vel  $\tau\omega\tau\omega\tau\omega\eta\omega$   $\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\tau\omega\eta\omega$  cum  $\tau\omega\tau\omega\eta\omega$   $\alpha\lambda\lambda\omega\eta\omega$ . Primum autem haec non ipsorum praedicatorum diversitas est sed eorundem diversa relatio, deinde notiones relativae absolute ponuntur, nec enim quo debent relatae sunt. Fac eadem diversitatis praedicata significari, iam similitudinis causam remanere intelleges. Relinquitur, ut verbis  $\eta\tau\omega\tau\omega\eta\omega$   $\pi\epsilon\nu\theta\varepsilon\nu$  praedicatum identitatis, sequentibus  $\eta\delta'$   $\alpha\lambda\lambda\omega$   $\pi\epsilon\nu\theta\varepsilon\nu$  praedicatum diversitatis contineri statuamus; iam ex praedicato identitatis identitas praedicatorum pendet, nec vero ex diversitatis praedicato diversitas praedicatorum; ita bis occurrente praedicatorum identitate bis similitudo efficitur. Ut brevi praecidam, omnis duorum argumentorum differentia ea est, ut dissimilitudo primum ex identitatis, deinde ex diversitatis praedicato ducatur ideoque primum praedicati eiusdem ( $\tau\omega\tau\omega\eta\omega$ ) deinde diversi ( $\epsilon\tau\epsilon\rho\omega\tau\omega\eta\omega$ ) identitas neglegatur. Ipse Parmenides etsi similitudinem identitatis praedicato fortasse propterea fulcire studuit, quia  $\delta\mu\omega\eta\omega$  esse dixerat  $\tau\omega\tau\omega\eta\omega$   $\pi\epsilon\nu\theta\varepsilon\nu\sigma\omega\zeta\omega\eta\omega$ , Plato tamen illa eo consilio adiecissem censendus est, ut, quo in errore Parmenides versaretur, clarius appareret.

P. 148 D - P. 149 D. Τί δὲ δή; περὶ τοῦ ἀπτεσθι ... οὗτος δῆ κατὰ πάντα ταῦτα  
τὸ ἐν τῶν ἄλλων καὶ ἔαυτοῦ ἀπτεστατεῖ τε καὶ οὐχ ἀπτεσται. Proximum est, ut unum et semet  
ipsum et alia tum attingere tum non attingere demonstretur. Attingit autem se, quoniam in  
se ipso est. In se esse unum, quod supra demonstratum est, tribus verbis potest doceri. Nam  
cum et totum et partium summa sit unum, fieri non potest, quin ut totum se contineat et  
semet ipso ut summa partium contineatur. Non attingit se unum, quoniam, quoties tactus  
futurus est, id, quod aliud tanget, iuxta illud, quod tangetur, situm esse proximamque illi sedem  
occupare oportet. Quodsi unum se ipsum contrectat, non sane se ipsum excipiet, quin duabus  
simil sedibus exstet ideoque duo se fieri patiatur. Iam cum natura sua quominus duo sit,  
unum impediatur, eadem necessitate, ne se tangat, prohibetur. Vix est, cur addamus contra-  
dictorie opposita hic ita effici, ut unum modo totius in partes divisi modo ipsius unitatis  
notionis partes agat ideoque modo multorum patiens sit et locum teneat (neque enim sine loco  
cogitari potest, quod ut totum in partes dividitur), modo illa subterfugiat et essentia locali  
privetur. Hoc vero non est disiungere certas unius formas sed convellere aliamque in alias  
locum, prout libitum est, substituere. Quod vero unum alia contingere modo concedit modo  
negat, id et ipsum ex eodem variandi notiones artificio videtur profectum esse. Unum, inquit,  
alia contingit, quoniam in aliis unum inesse necesse est. Nam cum nec in se ipso sit et, si  
nusquam esset, prorsus tolleretur omniisque vacaret essentia, relinquitur, ut unum in aliis sit.  
Unum igitur in aliis inclusum nihil aliud valet nisi unum, quod sedem suam occupat vel spa-  
tium implet. Quale cum sit unum, natura ita comparatum est, ut tangat alia et tangatur.  
Nam quod nusquam est, id nec tangere quicquam nec a quoquam tangi nec aliorum siti

spatiove ulla potest ratione definiri. Id ipsum vero, localem unius essentiam esse, continuo negatur. Quot, inquit, numero sunt, quae inter se tanguntur, eis una semper tactiones pauciores erunt. Duo igitur minimum esse oportet, si tactio est futura. Atqui alia unum non sunt ideoque numerum non participant, ergo nec tangunt nec tanguntur, quare nulla inter unum et alia tactio erit. Si quod unius expers est, a numero i. e. a numeri natura removetur, unum illud numeri partes ipsum suscepisse facile intellectu est. Itaque Parmenides meram rursus unitatem exhibit essentia locali destitutam. Quale cum sit unum, mirum non est, quod ab omni tactu abhorret. Quis enim unitatis meraeve numeri notionis localem essentiam possit sibi informare? Iam cum nullo sit loco constitutum, nec tangere quicquam nec a quoquam tangi potest. Ne plura: vides discrepancia denuo ita a Parmenide colligi, ut diversae unius significaciones permisceantur.

P. 149-P. 150. Μρ' οὐν καὶ ἴσον ἔστι καὶ ἀνίσον αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις; . . . Τὸ δὲ ἄριστον τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἴσον ἀν εἰη. Ut unum aequale et sibi et aliis esse efficeret, hoc usus est syllogismo: quod nec maius nec minus est, aequale esse dicimus, atqui unum nec maius nec minus est, ergo est aequale. Propositioni minori confirmandae inserviunt haec: maiora minorave esse nequeunt, quae vel magnitudinem vel parvitatem non participant. Et parvitas quidem uni adesse non potest; quae si adasset, aut toti uni aut cuilibet eius parti accederet: nam sive toti uni insideret sive parti (id enim nihil refert), vel aequa extentione per integrum unum partemve intus porrigeretur vel circumpleteatur integrum unum partemve extrinsecus: utrumcumque faceret, parvitas non sua ageret sed vel aequalitatis vel magnitudinis munere fungeretur, quippe quae aut aequalis aut amplior foret, sive toti uni sive partibus inhaereret. Itaque nulli unquam rei parvitas inhaerebit, nec ulla res praeter ipsam parvitatem parva erit. Magnitudinis ut eadem natura ita eadem ratio est. Nihil invenitur, cui magnitudo inhaereat, licetque hoc vere dictum esse cum ipsa magnitudinis natura tum eo probare, quod sublatis rebus parvis nihil profecto, quo quid maius esse possit, relinquatur. Cui argumentationi tametsi complura vitia admixta sunt, illud tamen praecipuum duco, quod neglecta essentia accidentalium unam aliquam essentiae formam, substantiale dic, universo generi rursus parem posuit: ipsa parvitas cum ita se tueatur, nunquam ut vel aequalitatis vel magnitudinis partes suscipiat, ea, quibus, ut parva sint, contingit, quid obstat quominus vel aequa eadem existant vel magna vel quicquid praedicati loco inseras: hic enim unicus accidentium fons est: ut quod subiectum habuimus, praedicatum fiat. Pluribus abstinemus: appareat enim, quam falsum sit illud Parmenidis, excepta parvitate nihil parvum esse. Nec vero aliud quicquam ab eo exspectare licuit, qui supra quod non se ipso aliquid esset, id omnino aliquid esse negaverat. Sive enim cuique solam substantiae essentiam tribuendam censes, sive substantiam solam essentiae formam iudicas, utrobique in mera substantia acquiescis, hoc discrimine, siquidem est, manente, quod modo tollis essentiam accidentialem, modo substantialem ut veram ponis. Illud facis, si enuntiationis illius, cuius subiectum et praedicatum idem est, praedicatum restrictive definis, velut si aīs unum nihil nisi unum esse: hoc, si subiectum (parvitas sola parva habenda est). Nunc reliqua videamus. Parmenides in idearum numero magnitudinem et parvitatem habet (v. p. 149 Ε οὐκοῦν ἔστιν γέ τις τούτω εἴδη τό τε μέγεθος καὶ ἡ συμφόρηση), quas cum vel totum unum vel illius partes occupare porrigithe intra vel extrinsecus unum eiusve partes circumplexi dicit, ideis iniungit, quae essentiae locali consentanea sunt, nam si

totum partemve fingis, rem fingis sensibus subiectam et loci patientem vel potius indigentem. Fallitur autem in eo, quod res ita idearum participes esse statuit, ut hae dividuae illarum naturae accommodandae sint, quod contra est, nam qui res vere ideis comprehendere vult, suae quidque parti et suo quamque partem generi debet supponere, quae sincera idearum divisio est a rerum divisione probe secernenda, at Parmenidi incognita. Nec enim localis idearum essentia est, sed obiectiva i. e. quae et aspectum et cogitationem superat. Porro iure in eo haeras, quod in disceptandis magnis parvisque rebus non satis sibi constitit; nam cum id magnum esse negat, cui non adsit aliquid minus, quo maius esse possit, relativam respicit notionis naturam, quam ipsam in refellendis parvis omisit; dicuntur autem relative tam parva quam magna gentque altera alteris, sive singularum rerum sive generis mensura utimur. Sed hoc fortasse levius est, illud autem gravius inconstantiae documentum edidit, quod qui nihil praeter magnitudinem magnum, nihil praeter parvitatem parvum esse voluit, unum, quia nec maius nec minus sit, aequale aliis esse concedit, quasi non quae magnorum ac magnitudinis eadem aequalium et aequalitatis ratio sit. Est haec tacita inscioque Parmenidi linguae ipsius vi et consuetudine elicita essentiae accidentalis comprobatio. Quamquam haec discrepantia per se haud quaquam laudanda est: commemoro enim iam nunc, quod in enarrando loco sequenti explanatus disseram, qui magnitudinis parvitatisque praedicata sustulisset, aequalitatis praedicato ab eo non parcendum fuisse.

P. 150 E - P. 151 B. *Kai μὴν αὐτό γε ἐν ἑαυτῷ οὐ . . τὸ ἐν ἄραι τούτοις τε καὶ μεῖζον καὶ ἔλαττον ἔστι αὐτό τε ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἄλλων.* Nunc assumptis, quae supra prolata sunt, argumentis unum tum se ipso tum aliis et maius et minus i. e. et sibi et aliis impar esse ostendit. Unum, inquit, quoniam in semet ipso est, et se ipsum comprehendit et a se ipso comprehenditur. Quale cum sit unum, quatenus comprehendit, maius, quatenus comprehenditur, minus semet ipso oportet existat. Vix opus est, ut denuo doceamus, unum illud se ipsum comprehensum totum esse, quod partes contineat, comprehensum autem a se partes, quarum nulla non toto contineatur. Iam idem uni ad alia relato accidere his efficitur. Quicquid est, in aliquo i. e. alicubi sit necesse est, atqui sunt unum et alia, nec praeter ipsa quicquam reperitur, ergo et unum est in aliis et alia in uno sunt. Quae cum ita se vicissim complectantur, alterum altero et maius est, quatenus comprehendit, et quatenus comprehenditur minus. Quibus concessis inaequalia appetat esse unum et alia. Ac primum quidem facile refellas, quod in propositione est, quicquid sit, id esse alicubi, nec enim essentiam localem in genere numerare Parmenides debutbat. Verum omnis argumentatio hoc ipso vitio nititur nec omnino aliud quicquam significat, nisi eorum, quae spatium impleant, mensuram ita posse iniri, ut alterum altero maius minusve i. e. alterum alteri non aequale esse cognoscatur. Quod igitur unum et sibi et aliis impar esse docuit, id ita efficit, ut essentiam localem uni vindicaret, neque enim totum in partes divisum sine loco potest cogitari, quae erat prioris particulae sumptio. Contra ut aequale unum et sibi et aliis fingeret, parvitatis et magnitudinis notiones ab uno abhorrente defendit sublata nimirum essentia accidentalis. Et id quidem per se vitiose conclusum est; quicquid enim magnitudinem et parvitatem natura fugit, utpote a quantitate remotum, ne ita quidem, ut aequale iis sit, ad alia potest referri. Aequale enim est, quod aliis nec maius est nec minus; quod vero nec magnum nec parvum esse potest, id nec aequale nec inaequale est, siquidem nulla in illud quantitatis cadit relatio. Ne plura:

inaequale Parmenides unum localis essentiae auxilio exhibet, aequale, sed perperam, ita, ut dimensionis praedicato i. e. essentia locali destituat. Et id quidem tollenda essentia accidentaliter consequitur, nam ut quantitas universa, ita ea illius pars, quam metiendo finimus, (de altera continuo dicetur), ad accidentia pertinet, quae tollit, qui solam substantiam esse vult nihilque excepta parvitate et magnitudine parvum magnumve esse concedit. Nec vero praetermittam, id ipsum, in quo Parmenides haeret, unum et sibi et aliis et aequale et inaequale esse, si unum reputamus esse genus in partes speciesque divisum, commode posse intellegi. Etenim si respicias sive generis unitatem sive partium multitudinem, utramque in qua per se, aequale sibi unum erit, sin unitatem illam multa continentem, non aequale: iam vero τὰ ἄλλα rerum universitatem interpreteris in genera speciesque digestam; haec igitur alia uni non solum aequalia sunt tam ambitu (ipsa enim multa unum efficiunt) quam vi (nam idem et in genere et in specie est), sed etiam inaequalia, siquidem unum cum qualibet parte singulis rebus collatum ut latiore ambitu ideoque maius, ita artiore vi ideoque minus est.

P. 151 B-E. *Kαὶ μὴν εἰπερ μεῖζον καὶ ἔλαττον καὶ ἵσον . . . οὗτω δῆ αὐτός, ὁ, ἔστις, τὸ  
ἔν . . . τῶν ἄλλων.* Ἐστιν. Operae pretium est paucis disputare de appendice argumentationis enarratae. Vult unum probare aequale et inaequale sibi aliisque esse ut spatio (*μεγέθει*) ita numero (*πλήθει*). Quo consilio quae aequalia, inquit, aequalia sunt, totidem mensurarum vel partium sunt, quae maiora plurimum, quae minora pauciorum. Atqui unum et par sibi aliisque fuit et se aliisque maius ac minus, ergo tam ad se quam ad alia relatum et totidem partium est et plurimum et pauciorum. Quale si est unum, et par et impar numero sibi aliisque evadit. Haec recte se haberent, si recte generatim diceretur, aequalia totidem partium esse, inaequalia plurimum et pauciorum. Est enim aequalitas quantitatis identitas ut inaequalitas differentia quantitatis. Iamm cu quantitas ipsa aut ad spatia aut ad numeros pertineat (hodie continua et discreta dicunt), fieri non potest, quin aequalitatis, ut generis (itemque inaequalitatis), duae formae nascantur. Et discreta quidem pro ipsa discreti natura, siquidem paria sunt, totidem mensuras habent, at quae spatio paria sint, ea noli continuo totidem esse partium existimare: in his enim sectio in infinitum serpit; nec vero infinita aut per se paria aut imparia sunt, nisi forte dixeris in ipsa infinitate aequalitatem cerni. Immo vero spatio aequalia ea duntaxat lege totidem mensuras habent, ut eadem mensura utamur. Hanc legem quia neglexit, Parmenides rursus eo delapsus est, ut genus formamque eodem loco haberet. Tenendum enim est, id quod hoc ipsum argumentationis additamentum docet, hoc solum ex superioribus apparere, unum et alia spatio i. e. forma, non genere, paria esse. Reapse autem Parmenidi ἵσον μέτρων nil nisi totidem mensurarum valere, adiuncto contrario (*πλεύνοντα καὶ ἐλαττόνον*) edocemur.

P. 151 E - P. 152 E. *Ἄροι οὖν καὶ γρόνοι μετέχει τὸ ἔν . . . τὸ ἐν ἄραι τὸν ἵσον γρόνον  
αὐτὸν ἐνυπῷ καὶ γηγόμενον καὶ ὃν οὔτε νεώτερον οὔτε πρεσβύτερον αὐτοῦ ἔστιν οὐδὲ γίνεται.  
Οὐ μοι δοξεῖ.* I. Eadem fere ratione argumentum illud claudicat, quo uni tempus contingere efficitur. In quam sententiam: quid, inquit, esse aliud est, nisi essentiae participem esse tempore praesente, quemadmodum fuisse praeterito, fore futuro? Atqui uni, siquidem est unum, essentia contingit, ergo unum temporis particeps est et praesentis et praeteriti et futuri i. e. universi. Haec recte dicta essent, modo ne in propositione essentia temporalis, quae una generis forma est, in assumptione ipsum essentiae genus occurreret. Redit igitur variati termini medii vitium subinde perstrictum. II. Nec in illis, quibus unum semet ipso aetate et maius et minus

fieri evincitur, novus error inest: quem etsi supra (p. 141 A-D) castigavimus, tamen denuo corrigere a proposito nostro haud alienum sit. Summa disputationis haec est: Unum, cui tempus contingere vidimus, cum temporis progredientis particeps sit, aetate maius fit; iam cum non sit, ut unum maius fiat, quin maius fiat alio, quod ipsum minus fiat, unum, quia se ipso aetate fiat maius, se ipso minus fieri, quantoque aetate crescat, tanto decrescere perspicuum est. Unum aetate crescens fingas efficere continuorum membrorum seriem, quorum si eandem rationem esse statueris quam duorum continuorum proportionis, in Parmenidis errorem incurris. Proximum quodque membrum praecedente ita maius fit, ut quanto quodque posterius sit, tanto plus differat a primo, at, si quota sui parte differat a superiore membro membrum proximum, reputaveris, hanc ipsam progrediente serie decrescere invenies. Parmenides vero si, quod se ipso maius aetate fieret, id se ipso minus fieri recte conclusisset, continuorum duorum membrorum differentiam ratam illam quidem et immutabilem ita oporteret angeri, ut consequens membrum crescere non posset, nisi praecedens decresceret. III. Iam ut unum se ipso aetate nec maius nec minus esse comprobaret, aliam viam init. Quod eandem, inquit, aetatem habet, aetate nec minus nec maius est, atqui unum, cum nec per longius tempus nec per brevius semet ipso vel sit vel fiat sed per aequale sibimet ipsi semperque se ipsum tempore aequiparet, eandem quam ipsum aetatem habet, ergo se ipso nec maius nec minus aetate est. Unum dicitur tantum temporis habere quantum habet (*τὸν ἵστον χρόνου αὐτὸν ἔωντας*); iam vero quoad temporis obnoxium est, non potest fieri, quin illam ipsam mutationem, quae temporis progredientis cursu efficitur, tanquam suae ipsius naturae mutationem subeat, quo circa, quatenus *χρόνον τοῦ πορευομένου μετέχει*, nunquam est *ταῦτὴν ἔωντά* nec omnino eiusdem praedicato ornari potest nisi collatum cum alio, quod et vi et spatio motus ei aequale sit. Itaque non eodem quidem sed consimili vitio unum et maius minusve se ipso aetate esse et eandem atque ipsum aetatem habere demonstratur: uti enim supra quotientis et differentiae discrimen neglexit, ita hic inter totam membrorum seriem et unum aliquod membrum nihil discriminis intercedere censuit.

P. 153 A - P. 154 A. *Tί δέ; τῶν ἀλλών; οὐκ ἔχω λέγειν. Τόδε γε μὴν ἔχεις λέγειν, ὅτι τὰ ἄλλα τοῦ ἐνός, εἰπερ ἔτερά ἐστιν ἀλλὰ μὴ ἔτερον, πλείω ἐστὶν ἐνός . . . Έστι μὲν δὴ οὐτως ἔχον τε καὶ γεγονός.* Coniunctim examinemus tria argumenta ea, quorum primo unum aliis aetate maius, altero minus, tertio nec maius nec minus ideoque iis aequale esse probatur. Ac primum quidem argumentum duabus continetur conclusiunculis, quarum altera haec est: quicquid unum non est, multitudinem (*πλῆθος*) efficit maioremque numerum participat, atqui alia, cum *ἔτερα* non *ἔτερον τοῦ ἐνός* sint, multitudinis naturam amplectuntur, ergo maiorem uno numerum habent; cui adiuncta est conclusio altera: ex omnibus, quaeque numerari possunt, ut quid minus est, ita prius est ortum quam maius, ideoque quod minimum est, id primum ortum est; iam id ipsum cum unum sit, unum ut primum ortum haud dubie aetate maximum est, alia, utpote quae et ipsa numerum participant, quia succedunt uni, hoc natura minora sunt. Deinde haec proponit. Eorum, quae partes i. e. principium, medium, finem habent, primum principium existit, reliqua deinceps usque ad finem, quocum postremum totum existit. Atqui unum ut totum partes habere vidimus, ergo unum secundum naturam suam cum fine existens ut ceterorum postremum existit, ita aliis minus aetate est, illa vero hoc maiora. Tertio loco ita argumentatus est: Principium vel alia pars quaecunque vel unius vel alias cuiuslibet,

siquidem pars est, unum sit necesse est; itaque unum simul cum prima existet simul cum secunda nec ab ulla deficiet parte, quaequa alteri accedens existet, quo circa unum cum partibus progrediens eandem quam alia aetatem agit nec unquam illis aut maius aut minus est. Triplicis argumenti eandem rationem esse sic mihi video demonstrare posse. Quicquid temporis obnoxium facimus, id quale fiat factumve sit, tale ipso temporis progressu fieri factumque statuimus; cuiusmodi essentiam cum Parmenides hoc loco uni suo attribuerit modo maius aetate modo minus et se et aliis modo aequale unum tam sibi quam aliis exhibens, tantum abest ut, quod vellet, revera consecutus sit, ut ad diversam essentiae formam et, quod memorabile videtur, ter ad eandem delabatur. Namque ut ab argu-  
mento primo ordiamur, unum, quod ab aliis tantummodo ita differt, ut iis minus sit, illa vero uno plura, et ipsum numeri instar est et cum aliis numeri notione consociatum. Id licet ex ipsa Parmenidis oratione cognoscere, qui ἀριθμοῦ, inquit, φύσιμεν τὰ πλείω γέγοναί τε καὶ γεγονέας πρότερον ἡ τὰ ἐλάττω et infra πάντων ἄρα τὸ ἐν πρώτον γέγονε τῶν ἀριθμὸν ἐχόντων, ἔχει δὲ καὶ τὰλλα πάντα ἀριθμόν, εἰπερ ἄλλα καὶ μὴ ἄλλο ἔστεν. Numeros autem si esse dicimus, hoc dicimus, obvenire eis, quae illorum propria et pecu-  
liaria sint. Quas numerorum rationes arithmeticci tradunt. Nulla igitur numerorum essentia est nisi haec ipsa eorum vis et natura sempiterna illa quidem et immobilis et aliena ab essentia temporali, quam sola participant. quae temporum decursu nascuntur et crescunt et varias mutationes subeunt. Ita quae in notione inest, essentia cum essen-  
tia temporali exaequatur. De altero arguemento idem statuendum est. Nam si unum totum, alia partes esse fingimus (p. 153 C), essentiam proponimus non temporalem sed in totius partiumque natura sitam. Est autem totum ἴδεα, qua partes ad unitatem re-  
vocantur. Quodsi nec partem sine toto nec totum sine partibus cogitare licet, nulla in totum partesque temporis ratio cadit. Ceterum Parmenides, squidem accidente parte extrema totum ait existere, ut supra p. 137 C ita hoc loco, quid inter totum (*ὅλον*) et summam (*πᾶν*) discriminis intercedat, aperte neglegit. Noli enim plenum et totum idem esse tibi persuadere; illud occurrit, si cui nihil desit, totum habes, quoties plura unitate continentur. Totum igitur etsi parte sive extrema sive qualibet alia carere nequit, non tamen, quae est eius natura, ipsius partis extremae accessione ita perficitur, ut cum partibus illud collatum aetate minus esse recte dici possit. Ne plura: totius partiumque ratio ab essentia temporali abhorret. Extremum argumentum in syllogismi formam redactum hoc est: pars unaquaequae ex aliorum numero est, atqui unum in parte qualibet existit, ergo unum cum aliis existit iisque aequale est. At vix est periculum, ne speciosus error, qui in assumptionem irrepsit, attentum lectorem fallat; neque enim unum in qualibet parte existit, quod idem sic apte exprimas, ut dicas unum quamlibet partem esse; immo quaeque pars, quia una pars existit, unum aliquid est, quod cave credas nihil ab illo differre. Facta enim subiecti et praedicati conversione propositiones figurae tertiae affirmativas habes, ex quibus nihil colligere possis. Sic unum, quod supra numeri, deinde totius formam induit, nunc pars i. e. singulare (*καθ' ξεαστον*) evasit, cumque bis subiecti loco fuerit, nunc praedicati partes agit. Iam si alia partes, unum aliquam partem intellegimus, hoc nimirum in arguemento inesse lubenter concedimus, si quis partem ali-  
quam animo fingat, ut complures partes cogitet, ipsa partis notione cogi. Fert hoc ipsum

partis natura, ut ad partes pars referenda sit, nihilque aliud valet illud, unum aliis aetate aequale esse, nisi hoc, parti, ut vim suam tueatur, plurativo opus esse. Quae ratio cum ex partis natura deprompta sit, ter factum esse videmus, ut Parmenides essentiam eam, quam ipsi notioni subiicimus, cum essentia temporali confunderet.

P. 154 A - P. 155 C. Ἀλλὰ τί αὐτὸς περὶ τοῦ γένεσθαι αὐτὸν πρεσβύτερον τε καὶ νεώτερον τῶν ἄλλων καὶ τάλλα τοῦ ἐνδός, καὶ μήτε νεώτερον μήτε πρεσβύτερον γένεσθαι; . . κατὰ δὴ πάντα ταῦτα . . οὔτε ἔαυτον οὔτε τῶν ὄλλων. Quemadmodum priore disputatione unum et ad se et ad alia relatum aetate maius, minus, aequale et esse et non esse effecit, ita nunc unum fieri ea, quae esse modo demonstratum est, evincere adoritur. Nolumus enarrandis, quae subtilius quam verius disputavit, explicandisque immorari; ipsum vitium, quo argumentatio contaminata est, satis est monstravisse. Duo, quae aetate diversa sunt, quanto ab initio differebant, tantudem, quocunque aetate processerint, different nec alterum altero maiora minorave ita fieri poterunt, ut illud ipsum, quo differunt, aut crescat aut decrescat: contra quo longius illa aetate progrediuntur, quod minus aetate est, eo maior semper fit alterius pars, quod maius, eo minore sui parte differt ab illo (*ἄου τῷ ἵσηρ μορίῳ διοίσει τὸ πλέον τοῦ ἐλάττωνος ἢ σμικροτέρῳ*); hinc ad alterum relata maius decrescere minus crescere recte dici potest. At si quis ex his quae contradictionis principio repugnat, ea recte sibi videatur concludere, is, quid discriminis inter differentiam et quotientem intercedat, non videt; quod idem sic explicare licet: Sit unius aliorumque differentia  $x$ , incrementum aetatis  $b$ ; his positis Parmenides aetatem intellegit modo  $x + b - b$ , modo  $x + b$ : iniuria haud dubie, siquidem illud, quoniam  $x$  constat,  $b$  accrescit, mutari nequit, hoc subit mutationem, unde aetatis (*χρήσιας*) notionem diversa ratione appetit definiri.

P. 156 E - P. 157 B. Επὶ δὲ τὸ τρίτον λέγωμεν . . Ταῦτα δὴ τὰ παθήματα πάντ' ἀν πάσχοι τὸ ζεῖν, εἰς ἔστων. Πῶς δοῦ; Duobus hunc locum vitiis inquinatum esse etsi subtiliter et apposite ad persuadendum Goebelius docuit (p. 54—55), tamen ex quo fonte illa emanaverint, quoniam certissima ratione videtur indicari posse, summatim explicare nostrum duximus. Ac primum quidem perperam statuit Parmenides, quae motus localis ratio sit, eandem universi motus<sup>9</sup> generis esse, siquidem ille continuam loci mutationum seriem efficit, ceteri motus, quibus obnoxium est, quicquid fit vel oritur, uno mutationis momento continentur. Supponamus igitur, ut Parmenidis sententiam assequamur, ipsi motus generi (*κινήσει*) duas formas, alteram motum localem, alteram ortum, quem eorum, quaequeae fiunt, esse dicimus. Hoc per se nihil habet offensionis, nec qua ratione ille inductus sit, ut quae fierent, ea moveri diceret, diu ambigas, nam quae loco moventur cum iis quae fiunt, quicquid fiunt, quantumvis ceteroqui diversa sint, certe eatenus congruunt, quoad essentiae mutationem experiuntur. Hanc communis motionis (*κινήσεως*) nomine appellans nihil, quod merito vituperetur, facit; illud vero vitiosum est, quod id, quod alterius motionis speciei, localis dico, proprium est, ad illud ipsum, quod γένεσθαι Graeci appellant, parum accurate transtulit. Sic enim recte distinguas inter φορὰν et γένεσθαι, ut φορὰν dicas esse κινήσεως statum quendam et habitum, γένεσθαι autem ipsum κινήσεως momentum (*μεταβολήν*). Et mihi quidem Parmenides linguae ambiguitate perductus in errorem videtur incidisse. Postquam enim supra, ut par erat, motionem localem, quae est una motionis pars, φορὰς, universum motionis genus κινήσεως nomine notavit, hoc loco, quo στάσιν et κίνησιν contraria esse voluit, locali essentiae κινήσεως nomen imposuit.

Quodsi modo ut partem modo ut genus appellaret, eodem κινήσεως nomine usus est, aliquanto facilius quod in solam cedit φορά, neglecta differentia specifica ad ortum potuit transferre, quae et ipsa κινήσεως species est. Rem apertam apertius dicamus adiecto hoc notionum schemate:

κινήσις  
φορά (κινήσις) — γίγνεσθαι.

Nunc properamus ad alterum vitium, quod nescio an similis ratione natum sit. Ruit autem, si Goebelium sequimur, in eo philosophus, quod ipso illo μεταβολῆς momento ( $\tauῷ ἐξαίφνης$ ) tolli sumit non solum statuum contrariorum sed etiam transitionum differentiam; est enim alia illorum alia harum condicio, nam sive ab essentia ad non-essentiam sive ab hac ad illam transitur, eodem momento ( $\tauῷ ἐξαίφνης$ ) pari modo duo illi status evanescunt, transitiones vero non perinde se habent ac status, nam si ab essentia ad non-essentiam transitur, interitus exsistit, sin ab hac ad illam, ortus. Sic ex ipso essentiae et non-essentiae ordine oriendi et intereundi notiones pendent. Fluxit autem error ex duplii verbi γίγνεσθαι significatione. Dicitur enim γίγνεσθαι tam quod ex certa quadam essentiae forma in aliam commutatur, quam quod ex ipsa essentia in essentiae negationem i. e. non-essentiam vel ex hac in illam transit, ex quo efficitur contrariorum et contradictorie oppositorum transitus, vel, quod idem est, ἀλλώσων i. e. qualitatis quantitatisque mutationem et γένεσιν τε καὶ φθοράν (ortum interitumque) uno illo vocabulo comprehendendi. Nec est, cur in eo haeresas, quod intereuntia γίγνεσθαι contendimus; γίγνονται enim οὐδὲ δύται, quaequae intereunt. Ita generatim de quavis essentiae mutatione vocem γίγνεσθαι usurpant, velut quae congregantur (*συγχρίνονται*) et disagregantur (*διαχρίνονται*), assimilantur et dissimilia fiunt (*όμοιοῦνται* et *ἀνόμοιοῦνται*), non sunt, sed fiunt. Deinde vero specialem sensum verbo eidem attribuunt dicuntque quae ad essentiam a non-essentia transeant, γίγνεσθαι, quae ab hac ad illam ἀπόλλυσθαι. Iam quamquam apparet, quaecunque mutatio occurrat, contrariorum statuum discrimen evanescere, transitionum manere, (prout enim a minore ad maius, a dissimilitudine ad similitudinem aut ab his ad illa pergitur, *ωζάνεσθαι* dicimus et φύεσθαι vel *όμοιοῦσθαι* et *ἀνόμοιοῦσθαι*) ideoque Parmenidem in diffitendo transitionum discrimine falli, ipsum tamen vitium a duplii verbi γίγνεσθαι significatione repetendum esse haud temere suspicamur. Nam quoties verbum γίγνεσθαι sensu generali accipitur, ex statuum ordine minime aptum est, siquidem fit, quod simile et dissimile magnum parvumque fit; iam vero quod de mera notione γίγνεσθαι recte dicitur, ad certas species (velut *όμοιος γίγνεσθαι*, *ἀνόμοιος γίγνεσθαι* cet.) falso transfertur ac mea quidem sententia tanto facilius, quiavox γίγνεσθαι non solum generatim de qualibet essentiae mutatione dicitur (= werden), cuius, qualis sit statuum motus vel transitus, nihil interest, sed etiam singillatim de ea mutationis specie, quam subit, quiequid essentiae particeps fit vel oritur (= entstehn). Itaque Parmenides, cum quam statuum eandem indifferentiam transitionum esse dicit, quod de generali vocis γίγνεσθαι vi recte dicitur, id ad specialem eiusdem vocis significationem pertinere falso opinatur. Ceterum Parmenidis vitia, quae Plato effingere voluit, in eadem rursus notionis ignoratione versantur.

P. 157 C-D. Εἴ τι πολλῶν μόριον εἴη . . . καὶ μόριον καὶ ἄλλο ὅτιον ἀδύνατον εἶναι. Partes esse totius, quo tanquam uno multa continentur, ita efficitur, ut non posse eas aut multorum aut omnium esse probetur. Haec ad syllogismi formam revocata proponamus. Quod, inquit, nullius multorum pars est, nec omnium est, atqui pars est nullius, ergo non est omnium. Quibus ut assumptionis adminiculum haec suggeruntur: si quid esset multorum pars, in quibus

asset ipsum, et suimet ipsius videlicet pars esset, quod fieri nequit, et ceterorum uniuscuiusque, siquidem esset omnium. Unius enim si non esset, praeter hoc esset reliquorum nec vero uniuscuiusque: quodsi cuiusque non esset, nullius esset multorum. Nullius vero si est, ut omnium horum aliquid sit, quorum nullius quicquam est, vel pars vel aliud quocunque, fieri non potest. Noli mirari, quo pacto in his idem eadem lege modo reliquorum modo nullius pars esse prohibetur. Latet vitium in duplice vi vocis ἔχαστος, quae primum collectivo sensu usurpata significat omnia (ἐνὸς γὰρ μὴ ὅν μάριον πλήρη τούτου τῶν ἄλλων ἔσται καὶ οὗτος ἐνὸς ἔχαστον οὐχ ἔσται μάριον), siquidem dempto uno fieri non potest, ut omnia remaneant, deinde distributivo singula, quoniam quae subiuncta sunt (μὴ δὲ ἔχαστον οὐδενὸς τῶν πολλῶν ἔσται) recte se non habent, nisi voci ἔχαστος singulorum notionem subesse statuimus. Quod enim singulorum pars non est, id, quandoquidem unumquidque singulare est, profecto erit nullius. Ceterum ne correcto quidem vitio Parmenidis ratio subvertitur, nec enim pars esse potest eorum, ex quibus ipsa est, uniuscuiusque pars, quoniam, si esset, non posset non esse sui ipsius.

P. 158 B-C. *Οὐκοῦν ἔτερα ὅντα τοῦ ἐνὸς μεθέξει τὰ μετέχοντα αὐτοῦ; Πῶς δ'οὐ;*  
*. . . Πῶς; οὐδὲ ἴδωμεν.* Haec ita a Goebelio explanata sunt, ut ne verbum quidem adderemus, nisi res minuta nec vero silentio praetermittenda nos moraretur. Unum hic modo totum modo singula modo numerum intellegi ac triplici sensu sumptum aliis praedicati loco attribui, idque Parmenidem agere, ut alia numero infinita exhibeat, lubenter concedimus; quod vero ille p. 56 alia uno iecirco plura esse statuit, quia unius praedicatum tanquam totius et singulorum ideoque dupli nomine asciscant, in eo vereor, ne a Parmenidis sententia paulum recesserit. Is mihi quidem alia uno plura esse non ex diverso unius i. e. praedicati sensu sed ex iis, quae paulo supra disputavit, videtur collegisse. Alia, inquit, ut ab uno diversa, sine dubio multa erunt, nam si neque unum neque uno plura essent ea quae diversa sunt ab uno, nihil forent. His nonne alia uno plura esse conclusum est? Quam conclusionem quae excipiunt „quoniam vero plura uno sunt ea, quae unum ut partem (singula) et unum ut totum participant, nonne necesse est infinita multitudine esse ea, quae in partem unius veniant“ (ἐπεὶ δέ γε πλείω ἐνὸς ἔστι τὰ τε τοῦ ἐνὸς μορίον καὶ τοῦ ἐνὸς ὅλου μετέχοντα, οὐκ ἀνάγκη ἡδη πλέθει ἄπειρα εἰναι αὐτά γε ἐκεῖνα τὰ μεταλαμβάνοντα τοῦ ἐνός;) haec non sunt rei absolutae argumentum sed ut brevis quaedam argumenti repetitio ad infinitatem probandam transitum parant. Non nego, si ipsa, quae exstant, verba (τὰ τε τοῦ ἐνὸς μορίον καὶ τὰ τοῦ ἐνὸς ὅλου μετέχοντα) expendantur, plurativi argumentum et repeti posse ex cogitata subiecti partitione nec per se alienum esse a ratione Parmenidis, sed mihi quidem probabilius videtur, hac subiecti divisione indicari, alia unum sive ut totum sive ut partem participantia utique uno plura esse. Quamquam si quis delecto articulo scribere malit τὰ τε τοῦ ἐνὸς μορίον καὶ τοῦ ἐνὸς ὅλου μετέχοντα, equidem nihil gravabor nec offendam in translatione voculae τέ (pro τὰ τοῦ τε ἐνός), quae multis apud Platonem locis occurrit.

P. 158 E - P. 159 A. *Οὐκοῦν καὶ δμοι τε καὶ ἀνόμους ἄλλήλοις τε καὶ ἔαυτοῖς . . . κατὰ δάμφοτέρα δάμφοτέρως ἐναντιώτατά τε καὶ ἀνομοτάτα.* Alia tum sibi ipsis tum inter se et similia et dissimilia esse ex finiti et infiniti notionibus ut contrariis efficitur; et id quidem praepropere, nec enim, ut recte docet Goebelius, ἄπειρον et πεπερασμένον hic vere contraria sunt, siquidem illud ad discreta pertinet, hoc ad continua. At ne similitudo quidem et dissi-

militudo aliis mea sententia convenient. Quatenus, inquit Parmenides, finita sunt, idem praedicatum habent, itemque quatenus infinita, quatenus finita et infinita, praedicata diversa, ideoque et sibi ipsis et inter se similia sunt et dissimilia. At similitudo esse non potest, nisi cum duo subiecta commune praedicatum habent; ita autem oritur praedicatorum communio, ut duo ad tertium relata eadem ratione se habeant, iam vero alia, etsi plura sunt uno, sive partem sive totum participant, non tamen plura subiecta sunt sed unum subiectum, quod non potest ad se ita referri, ut sui aut simile aut dissimile fiat. Quod vitium evitatur in antithesi: p. 159 Ε οὐδὲ ὅμοια ἄρα καὶ ἀνόμοια οὐτε αὐτά ἔστι τῷ ἐν τῇλλα κτλ. In antithesi unum Goebelius ait modo ut meram notionem modo ut singula modo ut numerum proponi. Rec-tissime; ut mera notio occurrit p. 159 Ο οὐδὲ μήν μόρια γε ἔχειν . . . ἐν ἑαυτοῖς ἐν οὐδένι, ut singula in eis, quae continuo leguntur ἐν γάρ ἀν ἡν . . . οὐδαμῆ μετέχει, ut numerus in his: οὐδὲ ἄρα δύο . . . εἴπερ τοῦ ἐνίς πανταχῆ στέρεσται.

P. 161 A-P. 161 C. Καὶ ἀνομοιότης ἄρ' ἔστιν αὐτῷ πρὸς τὰ ἄλλα . . . Δεῖ ἄρ' ὄμοιότητα τῷ ἐν αὐτοῦ ἑαυτῷ εἶναι. Praetermissis, quae Goebelius invenit inventaque persicuit, disputationis eius vitiis, quae ad unum pertinet, quod non esse supponitur, paucis disseramus de dissimilitudine a diversitate repetita. Quae, inquit, diversa (*ἕτερα*) sunt, diversa habent praedicata (*έτεροια*) ideoque alia (*ἄλλοια*); qualia si sunt, dissimilia habenda sunt (*ἀνόμοια*). At ex diversitate, utpote quae omnium omnino relationum origo sit (est enim substantiarum ipsarum mutua relatio), praedicatorum et communio pendet et differentia, ex quo efficitur, quae diversa sint, ea posse et similia et dissimilia esse. Minus igitur placet, certae cuiusdam relationum speciei peculiarem causam haberi diversitatem, quae ipsius relationum generis est. Quod nescio an non factum esset, nisi substantiarum et accidentium differentiam Parmenides neglexisset. Nam diversitas substantiarum relatio est, dissimilitudo praedicatorum i. e. accidentium differentia. Est autem alia substantiarum alia praedicatorum diversitatis ratio. Eodem in errore ea versantur, quibus unum sibimet ipsi simile esse comprobatur. Unum, inquit, sibimet ipsi simile est, nam si non esset, non iam de uno disputare liceret. Quae non vereor ne lectori fraudem faciant; quippe nec simile sibi nec dissimile sed tale est unum quale est i. e. idem atque ipsum; quicquid enim ad se retuleris, id idem atque ipsum esse invenies nec quicquam ultra, quidquid ad alia, vel simile vel dissimile; illud si feceris, substantiam intueris, sin hoc, accidentia. Sed haec hactenus, nam iam supra annotavimus, nisi duobus subiectis collatis nullam similitudinem esse.

P. 161 C-D. Καὶ μήν οὐδὲ αὐτὸν ἔστι τοῖς ἄλλοις . . . μετέχει. P. 161 D - E. Άλλα μέντοι . . . καὶ μεγέθους καὶ σημαρότητος. Uni, quod, quamquam non est, tamen ad alia referri potest, quantitatis relationes i. e. inaequalitatem, aequalitatem, magnitudinem, parvitatem quomodo Parmenides vindicare studuerit, deinceps videamus. Et inaequalitatem quidem ratione apagogica sibi videtur obtainere posse. Aequale, inquit, si unum aliis esset, et esset et simile iis esset secundum aequalitatem, quod utrumque fieri nequit. At primum uni ex hypothesi non essentiae genus ademptum est; unum enim, ut obiectiva ac substantiali essentia careat, et cogitari et aliis praedicati loco potest attribui (Goeb. p. 60), mireque secum pugnat Parmenides, qui quod simile ac dissimile esse modo ipse probatum iverat, id nunc omni essentia destitutus. Deinde si quid aequale sit, id continuo simile esse, nisi quantitatem et qualitatem nihil differre censemus, consentire nequimus, namque aequalitas quantitatis relatio est, qualitatis

similitudo. Haud magis plausibilia sunt, quibus uni inaequali cetera quantitatis attributa conciliantur. Quod enim ad inaequalitatem pertinere ait magnitudinem et parvitatem et, quae inter has interiecta sit, aequalitatem, hisque expositis unum vult magnum parvum, aequale esse, haud dubie notionem et ea, quae illam participant, commiscuit. Nam inaequalitatis esse magnitudinem et parvitatem (*ἀνισότητός γε ἐστὶ μέρεθδός τε καὶ συμφότης*) propterea recte dicitur, quia inaequalitatis notio ipsa illarum relatione vel collatione cernitur, contra inaequale, tametsi unum idemque maius et minus est, siquidem magnitudine alia superare aliis cedere potest, non tamen uno eodemque maius minusque est, quo circa magnitudinem ac parvitatem simul habere non potest, immo aut maius est altero, quod est minus, aut maiore minus; deinde uti aequale est, quod altero nec maius nec minus est, ita aequalitas magnitudinis ac parvitatis est indifferencia nec vero inter illas media consistit, quasi substantiarum aut accidentium localis essentia sit; nam quod medium est, sine loco cogitari non potest. Ad extremum non satis recte magna et parva aequalibus ut contraria opponuntur; duae enim aequalium formae sunt, quarum altera continet ea, quae numero, altera quae spatio aequalia sunt; magna autem et parva spatio continentur, itaque neglecto continuorum et discretorum discrimine eo Parmenides adductus est, ut formae notionem pro notione generis i. e. adiuncta (coordinata) haberet.

P. 161 E-P. 162 B. *Καὶ μὴν καὶ οὐσίας γε δεῖ . . . καὶ μὴ οὐσία ἡρα, εἰπερ μὴ ξεπτιν.* Quod vitium huic argumentationi subesse Goebelius docuit, idem in argumenti exordio quamquam alia ratione expressum delitescere, non sane poenitet paucis commemorare. Proponitur enim ut nova essentiae species mera notionis identitas; quam rationem si amplexamur, quod non sit, id esse infiniti non possumus. Ipsa cuiusque natura, vel ut dicamus quod latius patet, quicquid de aliqua re iudicamus, continuo in essentiam abit fitque eius, de quo iudicamus, essentia; quapropter, quod non esse asserimus, id ipsum ita est, ut non sit. Sed haec hactenus de Parmenidis errore in universum. Nunc de argumenti exordio videamus. Habere se, inquit, unum oportet ita ut dicimus, nam si se ita non haberet, non vera (*ἀληθῆ*) diceremus dicentes unum non esse; vera autem dicentes patet nos ea quae sint (*ὄντα*) dicere; quoniam vero affirmamus nos vera dicere, necesse nobis est affirmare, nos etiam ea, quae sint (*ὄντα*), dicere. Est igitur unum non extans. Ambiguitas omnis in dupli vocabuli *ὄντα* sensu inest. Vera enim si *ὄντα* intellegimus, haud dubie *ὄντα* dicimus, quoties quale quidque est tale esse affirmamus et ad rerum naturam tanquam ad normam necessariam omnia exigimus. Verum enim esse nil aliud est nisi consentire cum re; itaque *ὄντα* dicentes et esse dicimus quae sunt, et non esse ea, quae non sunt, et suam cuique essentiae formam attribuimus, quo sensu ipse Parmenides *ἔχειν*, inquit, *αὐτὸν οὖτως ὡς λέγομεν*. *Εἰ γάρ μὴ οὖτως ἔχοι, οὐκ ἀν αληθῆ λέγομεν ἥμετες λέγοντες τὸ ἐν μὴ εἶναι.* Deinde vero eidem vocabulo *ὄντα* essentiam obiectivam vindicat. Vix opus est, ut addamus, si *ὄντα* superiore illo sensu dicuntur, semper vera dici, sin inferiore, non item, velut hic si unum obiective esse (*οὐ*) contendimus, non sane quod est verum (*οὐ*) asseveramus. Sic etiam hoc loco duae essentiae formae confunduntur.

P. 162 B - P. 163 B. *Οὖν τε οὖν τὸ ἔχον . . . οὕτ' ἀπόλλυται. Οὐ γάρ οὖν.* Disputationem institutam Parmenides ita persequitur, ut unum, quia sit et non sit, transire ideoque moveri, quia vero non sit ideoque nusquam sit, nullo pacto moveri defendat. In his tres essentiae formas, naturam, existentiam, essentiam localem ut idem valentes occurrere recte statuit Goebelius. Placet autem strictim examinare reliqua. Unum, inquit, omni motu caret,

quippe quod nec alicunde aliquo migret (*μεταβάνει*) nec in eodem versetur (*στρέφεται*) nec varietur (*ἀλλοιοῦται*). Ac migratio quidem et rotatio ad locum pertinent, variatio autem ad naturam vel qualitatem. Quod autem unum, sive sit sive non sit, variari non posse contendit, quia, si varietur, id ipsum quod sit esse desinat, in illud, quod supra subinde notavimus, vitium recurrat, nam substantia ipsa mutari non potest, at multa ei accidere possunt, quae et ipsa essentiae (accidentalis dico) *ἀλλοίωσις* est. Nec motus et status (*κινήσθαι* et *έστηχέναι*) verum efficiunt contrarium, siquidem mutatio, quam ut speciem motioni ut generi subiunxit, qualitatis mutatio est. Deinceps haec fere disputat: Sic unum et movetur (*κινήται*) et non movetur ideoque et mutatur (*ἀλλοιοῦται*) et non mutatur. Hoc quid sibi velit, superiora illa respi- cientes facili negotio explicamus. Motus enim unius omnis hic est, ut deinceps animo fingamus unum modo essentia obiectiva ac substantiali carere modo eam essentiae participare formam, quae in mera notionis identitate cernitur; contra immobile unum est, si totum essentiae genus in essentia obiectiva, qua unum ex hypothesi caret, versari censemus, namque quod omnino non est, moveri non potest. Mutatur autem unum, quoad multorum, quae individua sunt, praedicatum fieri potest, etenim uni essentia accidentalis in hypothesi concessa est; rursus idem unum non mutatur, quatenus hac sola essentiae forma praeditum eaque illius natura est, nusquam ut substantia fiat. Ad extremum unum, quoad mutetur, aliud fieri ait Parmenides atque antea fuerit et ex priore habitu interire; quoad non mutetur, neque fieri neque interire, itaque tam fieri et interire quam non fieri et interire. Neglecta est ut supra duplex vocabuli *γένεσθαι* significatio, alia enim eorum ratio est, quae alia fiunt atque antea fuerunt et quae fuerunt, ea esse desinunt, alia eorum, quae aut, cum fuerunt, intereunt aut, cum non fuerunt, oriuntur. Hoc eodem vitio laborant, quae infra de uno nullam essentiam attingente disseruntur. Postquam enim fieri et interire nihil aliud esse dixit nisi in essentiae partem venire ac perdere essentiam (p. 163 D), unum defendit propterea non mutari (*ἀλλοιοῦσθαι*), quia si hoc ei accideret, et fieret et interiret. At mutantur, quae ex aliis alia ita fiunt, ut nec pereant nec oriantur. Quod vero unum, quia non mutetur, non moveri statuit p. 163 E, in eo parum sibi constat; nam sublata una *κινήσεως* forma et ea quidem, quae ad qualitatem pertinet, continuo tolli duas reliquias vel, ut accuratius dicamus, unam illam ad loci permutationem referendam, quae et ipsa in duas formas (*τοῦ μεταβάνειν* et *στρέφεσθαι* ἐν ταῦτῃ) disiungenda est, sine dubio praepropere colligitur.

Nunc, ut constituimus, locos quosdam brevi disceptabimus, quos aut proposita scripturae mutatione aut sensu accuratius explicato in meliorem nobis videmur condicionem redigere posse. Et primum quidem tres locos tentabimus, qui, ut nunc leguntur, lacunae, ni fallimur, vitio laborant.

P. 141 D-E. *Tι οὖν;* τὸ γὰρ καὶ τὸ γέγονε καὶ τὸ ἐγένετο οὐ χρόνοι μέθεξι δοκεῖ σημαίνει τοῦ ποτὲ γεγονότος; καὶ μάλα. *Τι δέ;* τὸ ἔσται καὶ τὸ γενήσεται καὶ τὸ γενηθήσεται οὐ τοῦ ἔπειτα ποιούμενος; *Ναί.* *Τὸ δὲ δὴ ἔστι καὶ τὸ γέγονεται οὐ τοῦ νῦν παρόντος;* Πάνυ μὲν οὖν. In his a Parmenide tres temporum formas i. e. praeteritam (*ποτέ*), praesentem (*νῦν*), futuram (*ἔπειτα*) non simpliciter distingui sed adjuncto discrimine actionis, cuius triplicem statum esse volunt, siquidem aut perfecta est aut infecta aut instans, cum res ipsa docet tum apertius ea indicant, quibus nullam uni essentiae temporalis rationem contingere ita affirmatur:

εἰ ἄρα τὸ ἐν μηδαιῷ μηδενὸς μετέχει χρόνον, οὐτε ποτὲ γεγόνει<sup>1)</sup>) οὐτὲ ἐγένετο οὐτὲ ἦν ποτέ, οὔτε νῦν γέγονεν οὔτε γίνεται οὐτὲ ἔστιν, οὐτὲ ἔπειτα γενήσεται οὔτε γενηθήσεται οὐτὲ ἔσται. Άληθέστατα. Hic ut γεγόνει, ἐγένετο, ἦν actionis perfectae, instantis, infectae praeterita sunt. (i. e. plusquamperfectum, imperfectum coniugationis periphrasticae, imperfectum). ita γέγονεν, γίνεται, ἔστιν praesentia (i. e. perfectum, praesens coniugationis periphrasticae, praesens) γενήσεται, γενηθήσεται, ἔσται: futura (i. e. futurum exactum, futurum periphrasticum, futurum primum). Iam cum id agat Parmenides, ut unum illud essentia locali privatum ab omni χρόνῳ μεθέξῃ abhorrire demonstret (est enim haec summa conclusionis, quam adscripsimus: εἰ ἄρα τὸ ἐν . . . ἔσται), num illo ipso, in quo haeremus, loco censendus est novem earum, quas continuo deinceps enumerat, temporis rationum unam sine causa praetermissee? Deest enim in enumeratione priore praesens actionis perfectae. Itaque orationem mancam ita explere iuvat, ut scribamus τὸ δὲ δὴ ἔστι καὶ τὸ γέγονε καὶ τὸ γίνεται. Bis enim cum scripta essent verba καὶ τὸ, quam facile aberrante ab altera copula ad alteram librario haec, quae inseruimus, καὶ τὸ γέγονε excidere potuerint, facile intellectu est. Nec temere ea sed suo loco restituimus servatoque actionum ordine, cuius cum in praeterito ac futuro primum locum infecta, alterum perfecta, tertium instans occupet, praesenti actionis perfectae (καὶ τὸ γέγονε) medium locum concedi eo probabilius est, quod paulo infra in enumerandis cunctis essentiae (temporalis) formis certus iterum actionis graduum ordo servatur ita tantummodo a priore discrepans, ut actio perfecta ter primum locum obtineat, instans secundum, infecta tertium. Restat autem in eis, quae hand integra esse censemus, apertum sed levidense ac facili negotio removendum vitium. Ut tempore tam praeterito quam praesenti et futuro aut factum aliquid esse aut esse (infectum esse) aut futurum esse (instare) significet, Parmenides verbis εἰναι et γίνεσθαι utitur, unde γεγόνει ei praeteritum actionis perfectae est, γέγονα praesens velut p. 141 E εἰ ἄρα . . . οὔτε ποτὲ γεγόνει οὔτε νῦν γέγονεν. Quae si probe reputaveris, in praeteritorum serie pro γέγονε, quod est praesens actionis perfectae, una addita litterula eiusdem praeteritum γεγόνεται restituere non dubitabis, orationem ad ea, quae insequuntur, accommodans: οὐτε ποτὲ γεγόνει οὐτὲ ἐγένετο οὐτὲ ἦν ποτέ, οὔτε νῦν γέγονε οὔτε γίνεται οὐτὲ ἔστιν, quo facto ea, quae examinavimus, sic apte procedent: Τί οὖν; τὸ ἦν καὶ τὸ γεγόνει καὶ τὸ ἐγένετο οὐδὲ χρόνον μεθέξω δοκεῖ σημαίνειν τοῦ ποτὲ γεγονότος; καὶ μάλα. Τί δέ; τὸ ἔσται καὶ τὸ γενήσεται καὶ τὸ γενηθήσεται οὐ τοῦ ἔπειτα πον μέλλοντος; Ναί. Τὸ δὲ δὴ ἔστι καὶ τὸ γέγονε καὶ τὸ γίνεται οὐ τοῦ νῦν παρόντος;

P. 154 E. Οὐδοῦν τόγε ἔλαττον διαφέρον ἡλικίᾳ πρὸς τι ἢ πρότερον νεώτερον γίγνονται ἢ ἐν τῷ πρόσθιτεν πρὸς ἔκεινα, πρὸς ἢ ἦν πρεσβύτερον πρότερον; Νεώτερον. Εἰ δὲ ἔκεινο νεώτερον, οὐκ ἔκεινα αὐτὸλλα πρὸς τὸ ἐν πρεσβύτεροι ἢ πρότερον; Πάνω γε. Τὸ μὲν νεώτερον ἄρα γεγονός πρεσβύτερον γίνεται πρὸς τὸ πρότερον γεγονός τε καὶ πρεσβύτερον οὐ, ἔστι δὲ οὐδέποτε πρεσβύτερον, ἀλλὰ γίνεται δὲ ἔκεινο πρεσβύτερον ἔκεινο μὲν γάρ ἐπὶ τὸ νεώτερον ἐποίησι, τὸ δὲ ἐπὶ τὸ πρεσβύτερον. Eorum, quae aetate differant, rationem temporis progressu ita mutari, ut quod sit aetate maius collatum cum minore minus fiat, minus autem ad alterum relatum maius, quo accuratius significet, Parmenides et praesens tempus et praeteritum

<sup>1)</sup> Ita enim scribendum est de certissima Sauppii emendatione, quam recepit Hermannus pro librorum lectione γέγονεν.

respiciens, consulto ea, quae aetate discrepant, dupli nomine appellat. Hinc quod prius ortum (*πρότερον γεγονός*), aetate maius (*πρεσβύτερον ὄν*), quod posterius, aetate minus est (*ζετερον γεγονός τε καὶ νεώτερον ὄν*). Quae si cogitata, ne dicam minuta dicendi accuratio videtur, displicet profecto mutila oratio, quae ita comparata est, ut ne contraria quidem aequabili ratione efferantur. Namque quod aetate maius est, cum plene *πρότερον γεγονός τε καὶ πρεσβύτερον ὄν* vocetur, aetate minus *νεώτερον γεγονός* non ineleganter sed perperam dicitur. Nec enim compendium orationis sed vitium est, cum quod aetate minus est, quandoquidem prius est ortum, confusa ortus essentiaeque significatione minus ortum (i. e. factum) dicitur. Certe perplexa haec appellatio subtili verborum εἰναι, γίγνεσθαι, γεγονέναι, quae huius loci est, distinctioni parum convenit. Unum enim, quia prius ortum est (*γέγονε*), maius aetate est (ἐστι) fitque (*γίγνεται*) ad alia relatum minus, alia utpote posterius orta et sunt aetate minora uno et cum illo collata maiora fiunt, nec vero aut unum illis minus est factumque esse potest (*γεγονέναι*) aut alia illo maiora sunt possuntque facta esse (p. 154 E - p. 155 A). Sed paratam cum loci medelam tum mendi originem habemus. Reponamus igitur τὸ μὲν νεώτερον ἄρα δὲ καὶ ὅστε ρον γεγονός πρεσβύτερον γίγνεται, quae verba omisit librarius a syllaba δὲ priore ad posteriorem aberrans. Ne ad speciosam decurtatae orationis excusationem configuias, adscribimus quae insequuntur, ex quibus, quid, si orationem coarctare voluissest, Parmenidi dicendum fuerit, sponte cognoscimus. Etenim p. 155 A τὸ μὲν ἐν, inquit, τῶν ἄλλων νεώτερον γίγνεται, ὅτι πρεσβύτερον ἐφάνη δὲ καὶ πρότερον γεγονός, τὰ δὲ ἄλλα τῶν ἐνὶς πρεσβύτερα, ὅτι ὅστερα γέγονε. Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τάλλα οὕτω πρὸς τὸ ἐν ἴσχει, ἐπειδήπερ αὐτοῦ πρεσβύτερα ἐφάνη καὶ πρότερα γεγονότα. Nullam habet offensionem, quod in posteriore enuntiationis membro alia ait Parmenides πρεσβύτερα esse omissio participio ὅντα nihilque de uno addit. Nec illud reprehendendum est, quod antea in uno duplice temporis rationem causatur (ὅτι πρεσβύτερον ἐφάνη δὲ καὶ πρότερον γεγονός), in aliis simplicem sed veram (ὅτι ὅστερα γέγονε). Quodsi haec recte se habent, eadem ratione superiore loco aut τὸ μὲν γεγονός δὲ πρότερον ἄρα δὲ aut τὸ μὲν πρότερον ἄρα γεγονός dicere Parmenidi licuit, τὸ μὲν νεώτερον ἄρα γεγονός non item. Etenim praedicatum temporis praesentis proprium in temporalis τοῦ γεγονέναι definitionis locum substitutum merito improbatamque esse orationem hiulcam a Schleiermachero postmodum intellectimus: at quoniam ille, librorum scriptura cur reiicienda esset, pluribus exponere noluit, necdum alias quisquam in lectione offendit parum accurata, retractare locum satius duximus. Pari modo egregie Buttmannus lacunosam orationem supplevit p. 157 B: scribens οὐκοῦν ἐπείπερ ἄλλα τοῦ ἐνός ἔστιν, οὕτε τάλλα ἔστι τὸ ἐν οὕτε τὸ ἐν ἔστι τάλλα.

Dubitantius iudicamus de tertio, quo quid suggestendum videtur, loco: P. 134 D-E. Οὐκοῦν εἰ παρὸν τῷ θεῷ . . . ἀλλὰ μὴ λίαν, ἐφη, θαυμαστὸς ὁ λόγος ἦ, εἴ τις τὸν θεὸν ἀποστερήσεις τοῦ εἰδέναι. Rerum si cuiusque unam certamque ideam esse statuatur, eo ostenditur deveniri, ut nec nos ulla ad ideas via accedere possimus, nec di quae circa nos sint aut cognita habere aut regere queant. In quam sententiam pari, inquit, modo neque nos illis imperamus eo, quod apud nos est, imperio nec divini quicquam nostra scientia cognoscimus, nec illi eadem ratione domini nostri sunt nec licet di sint, res humanas cognoscunt. At vide ne nimis admirabilis sit haec ratio, si quis deum privet

scientia (ἀλλὰ μὴ λίαν, ἔφη, θανατοστὸς ὁ λόγος ἦ, εἴ τις τὸν θεὸν ἀποστερήσεις τοῦ εἰδέναι). Extrema aut non examussim disputata sunt aut addita una vocula rectius se habebunt. Nec enim periculum vult esse Parmenides, ne, si ideas resque illis aequiparabiles seorsim ponamus, di scientia destituantur universa (nihil enim aliud ex simplici illo τῷ εἰδέναι elicere poteris nisi universae scientiae vim), immo ut pro perfectissima sua scientia (haec enim est ἀχριθεστάτη illa ἐπιστήμη) ideas tanquam suam regionem perspectas habeant, ita ignorare eos res humanas, idque ipsum satis mirum esse, si quis deos fingat humanarum rerum imperitos. Ut igitur appareat, quam cognitionem dis adimant, qui idearum doctrinam amplexi inter deos hominesque certos terminos constituerint, aut praecedentis enuntiati obiectum (τὰ ἀνθρώπεια πρόγραμμα) supplendum est, quod mihi duriusculum videtur, aut scribendum τοῦ εἰδέναι ταῦτα. Pronomen ut omitteretur, tanto facilius fieri potuit, quia continuo leguntur: *Taῦτα μέντοι κτλ.* geminatumque vocabulum *taῦτα* librarium in fraudem induxit. Illud noli putare, εἰδέναι tanquam scientiae speciem pertinere ad res humanas, quod nec exemplis Platonicis confirmatur et hoc ipso loco refellitur, quo divina et humana cognitio iisdem vocabulis (*ἐπιστήμη* et *γνῶσσεων*) appellatur, ac propria illius natura addito vocabulo *ἀχριθεστάτη* notatur.

Contraria ratio mihi videtur insequentis loci esse; etenim nescio an insertis verbis liberanda sint quae leguntur P. 142 D-E: *Τί οὖν; τῶν μορίων ἔχατερον τούτων τῷ ἐνὸς ὄντος, τὸ τε ἐν καὶ τῷ ὅν, ἀρα ἀπολεῖπεσθον* ἢ *τὸ δὲ* ἐν τῷ ὄντος εἶναι μόριον ἢ *τὸ δὲ* δὲ τῷ ἐνὸς μόριον; Impugnatae ab editoribus codicum scripturae Hermannus deleto ante εἶναι vocabulo ὄντος ita patrocinatus est, ut ex duabus unius entis partibus neque unum, quia pars esset, essendi notione carere defenderet, neque ens, quia unum esset, parte sui uno. Quae tametsi per se recte disputata sunt, tamen non sine causa Heindorius sequentibus demum verbis πάλιν ἀρα καὶ τῶν μορίων κτλ. colligi ait in utroque, et τῷ ἐνι et τῷ ὄντι, inesse utrumque τὸ ἐν et τὸ δὲ, atque ita rursus duabus utrumque partibus constare. Itaque ille praeente Schleiermachero utrumque istud μόριον et post εἶναι et post ἐνὸς insiticismi putat, praesertim cum neutrum expresserit M. Ficinus. Stallbaumius legendum suadet μορίον, quod codicum quorundam auctoritate confirmetur, ita enim dici, quod nunc cummaxime dicendum sit, partes illas τῷ ἐνὸς ὄντος semper rursus in particulis inde natis comparere. Id quantu[m] faciamus, ex iis, quae de Heindorii annotatione diximus, appareat, nec omnino locum a sententia perspicuum retractaremus, nisi aliunde posse ei opem petere nobis videremur. Nihil enim magnopere desideraretur, si expunctis verbis εἶναι μόριον eoque, quod est in clausula, μόριον haec exstarent in libris manuscriptis: ἀρα ἀπολεῖπεσθον ἢ τὸ ἐν τῷ ὄντος ἢ τὸ δὲ τῷ ἐνὸς; Hanc esse sollemnem dicendi formulam exemplis ex Parmenide depromptis licet confirmare velut legitur p. 144 E οὕτε γάρ τὸ δὲ τῷ ἐνὸς ἀπολεῖπεται οὕτε τὸ δὲ τῷ ὄντος, ἀλλ ἐξισοῦσθον δῆδετ παρὰ πάντα et paulo supra p. 144 C. πρὸς ἀπαντεῖ ἀρα ἐκάστῳ τῷ τῆς οὐδίας μέρει πρόσεσται τὸ ἐν, οὐκ ἀπολειπόμενον οὕτε συκροτέρουν οὕτε μείζονος μέρους οὕτε ἄλλον οὐδενὸς et simili modo p. 153 E τὸ ἐν ἀμα τε τῷ πρώτῳ γνωμένῳ γίνονται ἀν καὶ ἀμα τῷ δευτέρῳ καὶ οὐδενὸς ἀπολεῖπεται τῶν ἄλλων γνωμένων . . . οὕτε ἄλλον οὐδενὸς ἀπολειφθὲν ἐν τῇ γενέσει. Quare, si quid video, verba εἶναι μόριον et alterum illud μορίον interpretamenti loco habenda sunt profecta a lectore, qui, qua necessitudine dueae illae partes inunctae essent, proxima praeciopiens explicare studeret. Sed sententiarum hic ordo est, ut primum duarum illarum partium alteram ab altera divelli non

posse statuatur, deinde utramque duabus particulis effici et, quantulacunque pars emergat, semper duabus illis particulis compositam eam esse demonstretur. Etenim Parmenides partem ex totius partibus constare falso sumit, in quem errorem fortasse quantitatis et qualitatis permutatione inductus est. Nam si quod ex pluribus compositum est, id in partes minutae diviseris, partem unamquamque compositam habebis: unde si parte totius partes contineri collegeris, alteram partitionem ad qualitatem, alteram ad quantitatem spectare dissimulabis.

Lenissimam medicinam iis adhibebimus, quae insunt in P. 138 A - B *καὶ μὴ τοιοῦτόν γε ὃν οὐδαμοῦ ἀν εἴη. Οὕτε γάρ ἐν ἀλλῷ οὔτε ἐν ἑαυτῷ εἴη . . καὶ οὗτως τὸ ἐν οὐρᾷ εἴη ἔτι ἐν ἀλλᾷ ὅν.* Ut unum nusquam esse doceatur, duo deinceps probantur, primum non esse unum in aliis, deinde non esse in se ipso, et hoc quidem hac fere ratione: si in se ipso esset, ipsum se ipsum complecteretur (fieri enim nequit, ut quicquam in eo insit, quod non circumdet), itaque diversum esset ut comprehendens, diversum ut comprehensum i. e. non unum esset sed duo. Res aperta, sed in librorum scriptura, *οὐχοῦν ἔτερον μὲν ἀν τι εἴη αὐτὸν περιέχουν, ἔτερον δὲ τὸ περιεχόμενον* quid sibi velit *αὐτόν*, non satis liquet. Quod quamquam ferendum censuit Heindorius vertens: *. ipsum hoc (quod continent)*, tamen propter *ὅλον* illud, quod statim infertur, facile Schleiermacheri assensus est corrigenti *αὐτοῦ*. Certe id magis arridet contorta Stallbaumii explicatione *αὐτὸν* ut accusativum cum participio (*περιέχουν*) iungentis, recteque Schleiermacherus non potuisse ait recte dici *οὐ γάρ ὅλον γε ἄμφω τούτοις ἄμα πείσται καὶ πούσει*, nisi unius (*αὐτοῦ*) iam antea partes constitutae essent. Minus autem placet verborum collocatio, siquidem *αὐτοῦ* verendum est, ne falso iungatur cum *ἔτερον*. Quae ambiguitas quoniam hac verborum transmutatione (*τὸ περιέχουν αὐτοῦ*) facillime evitari potuit, proponimus conjecturam Schleiermacheri interpretationi consentaneam: *οὐχοῦν ἔτερον μὲν ἀν τι εἴη αὐτὸν περιέχουν, ἔτερον δὲ περιεχόμενον*, deletisque, quae geminatae sunt, litteris τὸ sententiam assequimur argumentationi congruentem; sicut enim unum in aliis inesse nequit, quia, si inesset, multa fieret, ita, si in se ipso esset, iterum in duo (i. e. multitudinem) abiret. Prorsus eodem modo usurpatur particula p. 132 A *οὐχὶ ἐν τι αὐτὸν μέρα φανεῖται . . p. 140 D ἀλλὰ . . εἴη . . καὶ οὗτος αὐτὸν οὐχέτι ἐν ἔσται, ἀλλὰ τοσαῦτα ὅσαπερ καὶ τὰ μέτρα.* Sed exemplis parcimus in re planissima.

Extrema paucis absolvamus; explicationem enim proferamus, non conjecturam. P. 158 A. *Μετέχοι δέ γε ἀν τοῦ ἐνὸς δῆλον δειπνὸν ἀλλοῦ δὲ οὐ μετεῖχεν, ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτὸν ἐν.* Nec partem ceterorum nec totum eorum corpus unitatis natura prorsus destitui sed in eius societatem quandam et communionem venire postquam Parmenides effecit, de singulis addit, quae supra attulimus. Haec Astius ita vertit: *.non enim participaret sed esset ipsum, si unum esset; ut haud absone ad sensum sic ad verba, quae exstant, parum accurate. Quamquam ille ita excusat, ut aut legerit aut legere maluerit αὐτὸν ἐν ὃν.* Nec vero opus est, ut inseramus participium, modo orationem recte suppleamus. Deest protasis hypothetica, quam falluntur, qui statuunt esse *εἰ μὴ μετεῖχεν*. Etenim Parmenides eorum, quae posuerat, memor: non enim, inquit, participaret (pars quaeque) sed esset unum ipsum, nisi aliud atque unum esset (*εἰ μὴ οὐδὲν ἀλλοῦ ηὐ*). Haec extrema si in libris manuscriptis legerentur, optime loco consultum foret, poterantque facillime excidere praegressis verbis *αὐτὸν ηὐ*; nec vero Platoni inculcare ea ausim, quae si desunt, nihilo aut perplexior aut neglegentior oratio existit.

P. 10 lin. 2 ab ima lege sit pro sid, p. 13 lin. 20 ab ima 1. I am cum pro I am cu.